DE COMPARATIONIBUS PLAUTINIS ET TERENTIANIS AD ANIMALIA SPECTANTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM
ORDINIS AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. MENSIS IANUARII

PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS FRANCISCUS WORTMANN.
HANNOVERANUS.

MARBURGI CATTORUM.
MDCCCLXXXIII.

HANNOVERAE, TYPIS CULEMANNORUM.

Hominum sensus, mores, cupiditates varias simillima esse ceterorum animalium iam antiquissimis temporibus quoties observatum sit, carmina omnium populorum docent; quippe cum haud raro a poetis et hominum cogitandi ratio vel intellegendi facultates bestiis tribuantur et bestiarum consuetudines comparentur cum hominibus. Animum adverto ad totum illud genus artis poëticae, quo bestiae haud aliter atque ipsi homines agentes, cogitantes, loquentes inducuntur, dico bestiarum historiam fabularem, quae cum apud alios populos tum apud Germanos olim vigebat (Cfr. Graecorum βατραχομυομαχίαν et fabulas, quae dicuntur Aesopeae). Ita Homerus quoque Polyphemum alloquentem facit hircum gregis et interrogantem, cur non primus ex antro egrediatur, ut antea solitus sit, sed postremus (Od. IX, 447), et Achillem commemorat equos monentem, ut aurigam in exercitum sospitem reducant Il. XIX, 400. Cfr. Il. VIII, 184; XXIII, 402[1]). Quid? quod clarissimus ille poëta bestiis tantum humanitatis dat, ut equos Achillis mortem Patrocli deflevisse fingat: Il. XVII, 426. Cfr. etiam Verg. Aen. II, 89. Verum haec quidem humanae naturae in bestias translatio maxime antiquissimae illi aetati propria erat, qua homines cum bestiis frequentiore et propiore usu coniuncti erant[2]), omnibus autem temporibus et apud omnes gentes usitatum erat, hominum agendi rationem cum animalibus comparare; quae

---

[1]) De hac poëtarum dicendi ratione quid sit iudicandum rectissime explicatur ab J. B. Friedreich in eo libro, qui inscribitur: *Die Realien der Iliade u. Odyssee* p. 258 sq.

[2]) Cfr. Jac. Grimm: *Wesen der Tierfabel. Einleitung zu Reinhart Fuchs.*

comparationes in quovis genere carminum, in sancto[1]) profano, epico dramatico lyrico[2]) frequentissimae sunt.

Sed tamen ipsa comparatio et bestiarum, quae proferuntur, natura in aliis carminibus et ab aliis poëtis aliter tractari solent. Nam Homero, ut exemplum afferam, in explicandis imaginibus non satis est ea accurate exposuisse, in quibus similitudo posita est, sed etiam multae res minoris momenti, quae tamen maxime placent, a poëta adduntur, ita ut quasi pictura plena et omnibus numeris absoluta animi oculis proponatur. Comici contra poëtae in comparationibus plerumque quam brevissimi sunt, cum non pluribus verbis utantur, quam ad sententiam intellegendam opus sunt. Nec id mirum, nam aliud est consilium epicorum, qui comparationibus copiose explicatis sermonem ornare et excolere student, aliud comicorum, qui id imprimis agunt, ut exemplis fere ex inopinato prolatis et breviter commemoratis risum audientium excitent. — Quod porro ad animalium tractandorum rationem attinet, epici et tragici poëtae, quoniam eorum interest, magnificis cogitationibus movere vel delectare, ante omnia egregias et admirabiles animalium proprietates: audaciam, robur, celeritatem alias in imaginibus adhibent, comici, ut in castigandis hominum vitiis ‚ridendo dicere verum' student, humilia et despicata ut stultitiam, voracitatem, deformitatem, impudicitiam libenter in medium proferunt. Ad hanc rem illustrandam pauca exempla ex Homeri et Plauti operibus sumpta breviter conferre liceat. Homerus enim, ut satis notum est, virum fortem, cuius in impetu alacritatem praedicare velit, cum leone irritato praeclaris verbis comparare adamat. (Cfr. Il. V, 136; ib. 160; XV, 630; XII, 290; XX, 164; XIII, 198; III, 23; V, 554 all.) Plautus item leonis in imagine mentionem facit, sed iracundiam bestiae ad litigosam

---

[1]) Haec sunt nonnulla exempla ex libris divinis veteris testamenti petita: Psalm. 42, 2: Quem ad modum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus! Cfr. Ps. 102, 7 sq; 58, 9; 59, 7 et 15; 55, 7; 49, 15 all.

[2]) Cfr. Pind. Isthm. III, 63 sq.: τολμᾷ γὰρ εἰκὼς θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρᾷ λεόντων ἐν πόνῳ: μῆτιν δ'ἀλώπηξ, αἰετοῦ ἅτ' ἀναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει id. Pyth. V, 111: γλῶσσαν τεθάρσος τε ἀετὸς ἔπλετο. id. Nem. III, 80; ἔστι δ'αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς.

mulierem transfert: Men. I, 2. 49; et senem vocat ‚leonem vetulum, olentem, edentulum': Men. V, 1. 111. Asinorumque patientia a Plauto ad hominum stultitiam significandam adhibetur: Most. III, 2. 91—95; Homerus autem non dubitat Aiacem, virum illum constantissimum et fortissimum, hostibus quamvis urgentibus cum cedere noluerit, comparare cum asino, quem pueri fustibus ex arvo reducere nequeant: Il. XI, 558. Cfr. etiam Plauti similitudines, quas contuli sub voce verris et apri p. 35, cum Hom. Il. XVI, 823; IV, 253; Il. V, 783; VII, 256; XII, 146.

Huiusmodi igitur exempla, quae facile augeri possunt, prae ceteris idonea videntur esse, ex quibus scriptorum proprietates ingeniorum magna ex parte cognoscantur. Ex omnibus autem poëtis et Graecorum et Romanorum fere nullum saepius et maiore studio cum animalibus homines comparavisse existimo quam Plautum, cuius vis comica non minimam partem in his comparationibus posita esse mihi videtur. Atque profecto hac ipsa re Plautum et Terentium, quos in idem artis poëticae genus incubuisse constat, valde inter se differre, eo planius omnibus apparebit, quo diligentius hac dissertatione imagines ab animalibus petitas ex Plauti et Terentii comoediis collegero et contemplatus ero.

Priusquam tamen ipsi quaestioni operam demus, paucis proponendum est, quam notionem verbo imaginis sive comparationis subesse velim. Existit enim comparatio, si ad rem quandam vel condicionem accuratius declarandam alia res satis nota apponitur et indicatur, qua ratione altera alterius similis aut dissimilis sit. Nonnumquam autem res, quam clariorem facere studemus, tam similis est eius rei, quae comparandi causa affertur, ut nullo verbo adiuncto ab uno quoque, quis sit cardo comparationis, facile intellegatur; quod si fit, haud raro evenit, ut additamento omni omisso pro ipsa re, quam intellegi volumus, verbum comparandum ponatur. Quae comparatio ad unum verbum contracta propter vocem alienam translatam ad proprium a Romanis translatio vocatur, a Graecis μεταφορά. ‚Transfertur ergo', ut ait Quinctilianus inst. orat. VIII, 6, ‚nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut

1*

quia necesse est aut quia significantius est aut quia decentius'. Idem auctor paulo infra: ,in totum autem', inquit, ,metaphora brevior est similitudo eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur. Comparatio est, cum dico, fecisse quid hominem ,ut leonem', translatio, cum dico de homine: ,leo est'. Qua ex re elucet, translationes, quippe quae quasi consanguinitate cum comparationibus sint coniunctae, hac in commentatione nequaquam neglegendas esse. Comparationum igitur notionem amplissimis finibus ita circumcludo, ut etiam translationes comprehendat.

Iam ad ipsam rem accedamus, quam ita distribuimus in tres partes, ut primum quidem agamus de forma illarum comparationum Plautinarum et Terentianarum, deinde de ipsis animalibus ad comparandum adscitis sive de vi atque sententia imaginum disseramus, postremo videamus, quid ex his comparationibus de utriusque poëtae proprio ingenio concludi possit.

I. De forma comparationum ad animalia spectantium.

A. Metaphorae.

Perlustranti metaphorarum usum facile apparebit aut singula verba aut tota enuntiata metaphorice exprimi. Metaphorae autem, quae ad unum vocabulum pertinent vel potius ad unam notionem significandam adhibentur, aut sunt nomina substantiva aut adiectiva aut verba. Aggredientes igitur ad ipsam rem tractemus

a. Substantiva,

quae proprie ad amimalia appellanda adhibentur, translata de hominibus dicuntur. Coniungere autem liceat ea bestiarum nomina, quae indicata ratione posita ludibrium quoddam vel ignominiam vel contemptionem exhibeant[1]). Huc spectant:

[1]) In hac disputationis parte singulos locos omni interpretatione omissa affero, quoniam omnia, quae ad sententiam verborum pertinent, in altera parte accuratius pertractanda sunt.

bestia: Bacch. I, 1. 21; Poen. V, 5. 13.
belua: Trin. IV, 2. 110; Most. III, 1. 42; ib. III, 1. 78. ib. III, 1. 91; Rud. II, 6. 59; Ter. Phorm. IV, 2. 11; Eun. IV, 4. 36.
simia: Most. IV, 2. 4; Merc. II, 1. 45.
canis: Men. V, 5. 34; Poen. V, 4. 66; Cas. II, 5. 12; Bacch. V, 2. 27; Most. I, 1. 40.
canicula: Curc. V, 1. 8.
oblatratrix: Mil. III, 1. 87.
asinus: Pseud. I, 2. 4; Ter. Ad. V, 8. 12; Eun. III, 5. 50; Haut. IV, 8. 35.
mulus: Most. IV, 1. 22.
ovis: Bacch. V, 2. 3 sqq.; ib. V, 2. 23; Merc. III, 1. 26.
agnus: Bacch. V,. 2. 26 sq.
vervex: Merc. III, 3. 6.
hircus: Cas. III, 2. 20; Most. I, 1. 39; Merc. II, 2. 1; Men. V, 2. 85.
haedus: Merc. II, 1. 45.
leo: Men. V, 2. 111.
cantherius: Mil. II, 2. 62; frag. ap. Mai. Cist. 39.
sus: Stich. I, 2. 7.
feles: Pers. IV, 9. 14; Rud. III, 4. 43.
volturius: Capt. IV, 2. 64; Trin. I, 2. 64.
accipiter: Pers. III, 3. 5.
cuculus: Trin. II, 1. 19; Pers. II, 4. 11; Pseud. I, 1. 94; As. V, 2. 73; As. V, 2. 84.
excetra: Pseud. I, 2. 82; Cas. III, 5, 19.

Adde nonnulla nomina propria, quae a meo consilio non plane aliena videntur esse. Etenim apud Plautum fere omnia nomina propria quasi loquentia sunt i. e. ita sunt comparata, ut naturam, mores, ingenium personarum, quibus indita sunt, audientibus satis aperte indicent. Quae nomina, quibus certa vis est, a Plauto haud raro de bestiis sunt petita, quarum consuetudines vel facultates omnibus notae sunt, ut illarum natura in hominibus facile cognoscatur vel potius hominum natura et dignitas ex nominibus illis primo obtutu perspiciatur. Quam ob causam cum magna pars illorum nominum quasi loco translationum sit accipienda, quae huc pertinent iam enumerare

placet[1]). Occurrunt enim in fabulis Plautinis haec nomina a bestiis ducta:

Saureas (σαῦρος = lacerta) servus in Asinaria.

Congrio (γογγρίων) coquus in Aulularia.

Leaena anus in Curculione.

Curculio parasitus in Curculione. Cf. p. 48. 49.

Lyco (λύκος) trapezita in Curculione.

Pardalisca ancilla in Casina.

Canthara ancilla in Epidico.

Cylindrus coquus in Menaechmis; de huius autem nominis origine dissentitur. Vide E. Koenig: nomina propria, quae sunt apud Plautum et Terentium p. 24.

Milphidippa ancilla in Milite glor.

Acanthio servus in Mercatore.

Sim(m)ia sycophanta in Pseudulo.

Lycus leno in Poenulo.

Labrax (λάβραξ) leno in Rudente.

Pithecium (πιθήκιον) serva in Truculento.

Similia nomina a Terentio nusquam usurpantur.

Extant apud Plautum rarius quidem animalia, quae blandiendi causa ad homines transferuntur. As. III, 3. 103 sq.: ‚Dic igitur med anaticulam, columbam vel catellum, Hirundinem, monerulam, passerculum, putillum'; As. III, 3. 76 sq.: ‚Dic igitur me passerculum, gallinam, coturnicem, Agnellum, haedillum me tuom dic esse vel vitellum'; Cas. I, 1. 50: ‚Meus pullus passer, mea columba, mi lepus'.

Huc accedunt nonnullae aliae bestiarum ad homines translationes:

Anguillast, elabitur: Pseud. II, 4. 57; pulmentum pridem ei eripuit milvus — ut si liceret milvum vadarier: Aul. II, 4. 37 et 40; Vide, ubi ludificatur una cornix volturios duos e. q. s.: Most. III, 3. 105; quom condiunt, Non condimentis condiunt, sed strigibus: Pseud. III, 2. 31; nam oves illius haud longe

---

[1]) Ampliorem huius rei explicationem hoc loco intermittendam esse putavi, quia ‚nomina propria, quae sunt apud Plautum et Terentium' accurate tractata inveniuntur in disputatione illa, quam E. Koenig in lucem edidit in Progr. Gymn. Patschkauensis 1875—1876.

absunt a lupis; Truc. III, 1. 11; Ter. Eun. V, 1. 16: ‚ovem lupo commisisti'. Metaphorice dicta sunt etiam pauca substantiva, quae actiones animalium aut corporis partes significant: ‚hic pipulo te differam ante aedis: Aul. III, 2. 32; nunc satis pipulo impio merui mali: Mil. II, 6. 101; apud mensam plenam homoni rostrum deliges: Men. I, 1. 13; calcibus insultare Ter. Eun. II, 2. 54; cfr. Phorm. 44; meae alae pennas non habent: Poen. IV, 2. 49.

His commemoratis transeamus ad

b. Adiectiva,

quae de bestiarum nominibus derivata et metaphorice posita sunt.

Senex hircosus: Merc. III, 3. 14; clurinum pecus: Truc. II, 2. 14; testudineus gradus: Aul. I, 1. 10; formicinus gradus: Men. V, 3. 12; colubrinum ingenium: Truc. IV, 3. 6; hirquina barba: Pseud. IV, 2. 12; ‚caprigenum' et ‚pantherinum genus' (hominum): Epid. I, 1. 16; corpus aquilum: Poen. V, 2. 151; subvolturium — vel subaquilum (sc. corpus): Rud. II, 4. 9; milvinis aut aquilinis ungulis: Pseud. III, 2. 63; arietinum responsum: fr. ap. Gell. III, 3. 8; noctuini oculi: Curc. I, 3. 35; volucrem vocem: Amph. I, 1. 170; leonino cavo: Men. I, 2. 49; colore mustelino: Ter. Eun. IV, 4. 22.

Videamus iam

c. Verba,

quae propria quidem significatione bestiarum actiones exprimunt, translata aut de hominibus aut de rebus inanimis dicuntur:

Epid. V, 1. 3: caperat frons; Merc. II, 3, 72: omnes sibilent; Cas. I, 1. 10: in urbe reptas; Amph. IV, 1. 3: omnes plateas perreptavi; Trin. IV, 1. 132: argute me obrepsisti; Trin. I, 2. 22: credo me imprudentem — obrepseris; Pseud. II, 3. 20: mors obrepat; Poen. prol. 14: te obrepet fames; Pers. II, 2. 17: vola curriculo; Mil. V, 1. 7: in hominem involo; Amph. I, 1. 90: cum clamore involant; Most. I, 3. 46: involem illi in oculos; Ter. Eun. IV, 3. 6; V, 2. 20: involare; Epid. I, 1. 33; travolaverunt ad hostes; Amph. V, 1. 56: devolant angues; Amph. I, 1. 169: vox mi ad auris advolavit; cfr. Rud. II, 3. 3, ubi eadem leguntur. Pseud. III, 2. 52: odos — in caelum

volat; Cist. IV, 2. 65: cistella mihi evolavit; Truc. II, 2. 1: nostras aedis arietat; Pseud. IV, 3. 5: ne — mi obvortat cornua; Curc. III, 61; hamum vorat; Ter. Eun. V, 4. 17: panem atrum vorent; Curc. IV, 2, 22, Bacch. V, 1. 8, Merc. I, 1. 51, As. II, 2. 25, Stich. III, 1. 45, ib. III. 1. 36, Men. 152: lacerare; idem occurrit: Ter. Ad. III, 2. 17; Hec. I, 1. 8. Ter. Ad. IV, 2. 17: gannire; Ter. Phorm. V, 9. 41 et Plaut. As. II, 4. 16: oggannire; Curc. V, 2. 6: nugas garris, cfr. Capt. III, 4. 81; Aul. V, 20; mordere: Ter. Ad. V, 3. 22; Eun. III, 1. 21; ib. III, 1. 53; admordere: Ps. IV, 7. 24.

His addenda sunt pauca verba, quae quamquam non bestiarum sed hominum actiones indicant, tamen ad bestias pertinent. Legitur enim Amph. I, 1. 170: alas intervelli (sc. voci); Epid. III, 4. 75: meum exenteravit — marsupium; ib. V, 2. 7; exenteravit mihi opes argentarias; Bacch. V, 1. 9: me attondit dolis doctis; Most. 2. 42: sermonem —, qui aucupet, cfr. Mil. IV, 2. 5; As. V, 2. 31; Rud. IV, 4. 49; Men. IV, 1. 12; Truc. V, 72; expiscare: Ter. Phorm. II, 3. 35; inescare: Ter. Ad. II, 2. 12.

Metaphorae, quae ad totum enuntiatum pertinent.

Rud. III, 4. 66: haec est simia, quae has hirundines ex nido volt eripere; Truc. II, 7. 53: iam ego te hic agnum faciam et medium distruncabo; Bacch. II. 3. 7 sq.: quem quidem hodie faciam hic arietem Phrixi, ita detondebo auro usque ad vivam cutem; Aul. II, 2. 21: Ego istos novi polypos, qui sibi quidquid tetigerint, tenent; Bacch. IV, 6. 22: nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit; Poen. V, 5. 13 sq.: male ego metuo milvos, ne auferat pullum tuum; Merc. II, 3. 17 sq.: muscast meus pater, nil potest clam illum haberi, Nec sacrum nec profanum etc.; Mil. II, 3. 32 sq.: insidias dabo, Quam mox horsum ad stabulum iuvenix recipiat se a pabulo; Cas. II, 8. 40: uno in saltu lepide apros capiam duos; Ep. II, 2. 4: iam ego me convertam in hirudinem atque eorum exsugebo sanguinem; Poen. III, 3. 63: nos tibi palumbem ad aream usque adduximus; Poen. III, 3. 71: illuc quidem, quorsum asinus caedit calcibus; Bacch. I, 1. 4: metuo, lusciniolae ne defuerit cantio; Poen. III, 3. 35: Canes compellunt in plagas lepide Lycum. Trin. I, 2. 133 sq.:

Lupus observavit, dum dormiret canes, Gregem universum voluit totum avortere; Mil. IV. 2. 67: ni huic verri adfertur merces, non hic suo seminio quemquam porcellam inpertiturust; frag. ap. Mai. Cist. 39 sq.: quamquam vetus cantherius sum, mihi nunc, ut opinor, adhinnire equolam possum ego hanc. As. I, 1. 20: ubi vivos homines incursant boves mortui; Bacch. V, 2. 29: arietes truces nos erimus, iam in vos incursabimus; Poen. V, 4. 64: etiam me meae latrant canes; Bacch. I, 1. 16—18: Viscus merus vostrast blanditia, — Duae unum petitis palumbem, si harundo alas verberat e. q. s.; Epid. IV, 2, 9: aliter catuli longe olent, aliter suis; Stich. I, 2. 82: stultiast, pater, venatum ducere invitas canes; As. II, 4. 90: lupus est homo homini; Poen. III, 5. 31: Lupo agnum eripere postulant; Stich. IV, 1. 71: atque eccum — lupum in sermone; Ter. Ad. IV, 1. 21: lupus in fabula; Ter. Phorm. III, 2. 21: auribus lupum teneo; Capt. I, 2. 81: i modo venare leporem: nunc ictim tenes; Amph. II, 2. 75: inritabis crabrones; Pers. I, 1. 27 sq.: an — habent quas gallinae manus? Nam has quidem (sc. litteras) gallina scripsit; Ter. Phorm. III, 2. 16: non rete accipitri tennitur neque milvo; Ter. Eun. III, 1. 36: lepus tute es et pulmentum quaeris. — Uno loco apud Plautum metaphora de bestiis petita invenitur, quae accuratius explicata complures versus continuos complectatur: Aul. II, 2. 49—58, ubi haec extant verba: ‚Si filiam locassim meam tibi, in mentem venit, Te bovem esse et me esse asellum: ubi tecum coniunctus siem, Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto. Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem. Et te utar iniquiore et meus med ordo inrideat. Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divorti fuat. Asini mordicus me scindant, boves incursent cornibus. Hoc magnumst periclum ab asinis ad boves transcendere'.

Atque pertractatis metaphoris, quae ad animalia spectant, animum advertamus ad

B. Comparationes proprias.

a. Comparationes particulis institutae.

Particulae, quae adhibentur ad comparationem significandam, inveniuntur

α) in enuntiatis contractis sive abbreviatis.

Incipio ab ea particula, quae saepissime occurrit:

quasi. Capt. I, 1. 9: quasi mures semper edimus alienum cibum; alia exempla invenies: Pers. I, 2. 6; As. I, 3. 57; Rud. III, 6. 4—5; Truc. II, 3. 16 sq.; Stich. V, 4. 42; Amph. I, 1. 163; Merc. II, 2. 4; Stich. IV, 2. 25; Mil. II, 2. 113 sq.; Truc. II, 2. 13; Cas. I, 1. 52; Poen. prol. 31; Poen. I, 2. 186; Poen. II, 39; Poen. V, 2. 73 sq.; Cist. I, 1. 38 sq.; Pseud. IV, 1. 45; Ter. Eun. V, 6. 23.

itidem quasi: Rud. III, 2. 46: proripite hominem pedibus huc, itidem quasi occisam suem.

quasi — itidem: As. I, 3. 26: quasi piscis itidem est amator lenae.

ita quasi — haud secus: Trin. IV, 1. 16: ita iam quasi canes haud secus circumstabant navem turbines venti.

itidem ut — ita: Curc. III, 79—81: quia enim in cavea si forent Conclusi illi itidem ut pulli gallinacei, Ita non potuere uno anno circumirier.

item ut: Truc. II, 1. 40 sq.: qui (sc. servus) ubi quamque nostrum prope videt, hasce aedis adgrediri, Item ut de frumento anseres clamore absterret.

item — ut: Curc. IV, 2. 13 sqq.: item genus est lenoninum inter homines meo quidem animo Ut muscae, culices, cimices pedesque pulicesque: Odio malo et molestiae.

similiter itidem ut: Pseud. I, 3. 148: exossabo ego illum similiter itidem ut muraenam cocus.

tamquam: Pers. II, 4. 28: tamquam proserpens bestiast bilinguis et scelestus.

tam — quam: Ter. Ad. IV, 1. 18: tam placidum quam ovem reddo.

aeque atque: Merc. IV, 4. 20 sq.: uxor ruri est tua, quam dudum dixeras Odisse te aeque atque anguis.

Haud plane diversae ab his comparationibus, quas modo attuli, eae videntur esse, quae loco particularum comparativarum substantivum ablativo positum praebent: Men. II, 3. 44: haec mulier cantherino ritud (i. e. quasi cantherius) astans somniat;

As. I, 1. 86 sq.: iubeas una opera me piscari in aëre e. q. s.; Pseud I, 3. 85: una opera alligem canem fugitivam agninis lactibus. Similiter accipiendum est Mil. IV, 1. 42: Pithecium haec est prae illa et spinturnicium.

β) in enuntiatis plenis.

quasi — item: Capt. I, 1. 12 sqq.: quasi quom caletur cocleae in occulto latent, Suo sibi suco vivont, ros si non cadit: Item parasiti rebus prolatis latent In occulto miseri, victitant suco suo.

itidem: Cist. IV, 2. 63 sq.: (imitatur) involvulum, quae in pampini folio intorto implicat se: Itidem haec exorditur sibi intortam orationem.

itidem ut: Rud. III, 2. 45: iube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui.

tam — quam: Most. III, 1. 32: tam facile vinces, quam pirum volpes comest.

b. Comparationes effectae vocabulis similitudinem aut contrarium indicantibus.

α) Comparationes gradu comparativo effectae.

Pers. III, 3. 30 sq.: citius extemplo a foro Fugiunt, quam ex porta ludis quom emissust lepus; cfr. Most. III, 1. 79 sq.; Amph. II, 2. 48; Pers. II, 2. 62; Truc. I, 1. 45 sq.; Trin. II, 4. 8 sq. ‚Quam' particula omittitur et res ad comparandum allata ablativo ponitur: Bacch. IV, 8. 48; As. III, 3. 114. Et ‚quam' particula et comparatum substantivum deest Mil. IV, 2. 53: nam volturio Plus humani credost; cfr. Bacch. II, 3. 56; Cas. V, 4. 5.

β) Comparationes praedicato effectae.

malle. Pers. I, 1. 3 sqq.: nam cum leone, cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico, Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo deluctari malui, Quam cum Amore; cfr. Truc. II, 2. 22 sq. Pseud. I, 2. 8 sq.

imitari. Cas. II, 77: imitabor nepam; cfr. Capt. III, 1. 25 sq., Cist. IV, 2. 63.

consimilem esse. Capt. I, 2. 7 sq.: liber captivos avis ferae consilimis est. Cfr. ib. I, 2. 14.

vincere. Poen. III, 1. 26 sqq.: si ad prandium me in aedem vos dixissem ducere, vinceretis cervum cursu — Nunc vos quia mihi advocatos dixi et testis ducere, Podagrosi estis ac vicistis cocleam tarditudine.

superare. Aul. IV, 8. 1 sq.: pici divitiis — ego solus supero.

c. Comparationes compluribus enuntiatis effectae.

Stich. I, 3. 12—15: (auditavi) Solere elephantum gravidam perpetuos decem Esse annos: eius ex semine haec certost fames; Nam iam complures annos utero haeret meo; cfr. Most. III, 2. 93 sq., Men. IV, 2. 90 sq., Pers. II, 2. 17, Truc. IV, 4. 15—17.

In omnibus his enuntiatis comparationes breviter absolvuntur, sed non deest exemplum huc spectans, quo quibus in rebus similitudo sit posita, latius exponatur. Quod, cum huius modi comparationes satis raro apud Plautum occurrant, hic in extenso proferre liceat. Extat autem As. I, 3. 63—72: Non tu scis? hic noster quaestus aucupi simillimumst, Auceps quando concinnavit aream, obfundit cibum. — aves Adsuescunt; necessest facere sumptum qui quaerit lucrum. Saepe edunt: semel si captae sunt, rem solvont aucupi. Itidem apud nos: aedis areast, auceps sum ego; Escast meretrix, lectus inlex est, amatores aves. Bene salutando consuescunt, compellando blanditer, Osculando, oratione vinnula, venustula. Si papillam pertractavit, haud id est ab re aucupis, Savium si sumpsit, sumere eum licet sine retibus.

II. De animalibus ad comparandum adhibitis et de comparationum singularum sententia.

Quoniam capite priore de forma comparationum ad animalia spectantium disserui et exemplis perspicuo ordine coniunctis demonstravi, quo vario modo comparationes maxime a Plauto exprimantur, iam ad ipsa animalia, quae poëtae ad comparandum attulerunt, et ad similitudinem imaginum explicandam animum advertamus. In distribuenda autem materia idoneum videtur esse, significationibus quibusdam generalibus praemissis, eas metaphoras et comparationes, quae de homine (primo animalium ordine) sunt petitae, hac dissertatione exterminare, ne fines materia nimis copiosa iusto latius producantur; cetera autem animalia eo ordine disponere constitui, quem ei, qui studium in rebus naturalibus perscrutandis collocant, sequi solent. Qua ratione adhibita non solum facile intellegetur, a Plauto quanto cum studio animalium proprietates et consuetudines cum hominibus comparatae sint, sed etiam ex omnibus fere animalium ordinibus exempla in medium prolata esse apparebit. Comparationes autem Terentianas ad animalia spectantes et inter exempla Plautina inserui et sub fine capitis separatim contuli, ut eo magis eluceret, quantum poëtae nostri hac ratione discederent. Denique operae pretium esse putavi singulis locis et Plautinis et Terentianis ex Aristophanis comoediis et ex fragmentis comicorum Graecorum et Romanorum et ex nostrae linguae proverbiorum numero similia exempla, quae inveni, adicere.

Tractandae igitur sunt primo loco eae imagines, quae, cum ad certa animalia referri non possint, supra generales a me vocatae sunt.

A. Generales animalium imagines.

bestia, i. e. animal ratione carens, quod translatum ad hominem in numero conviciorum habetur: Poen. V, 5. 13: ,mala illa bestia est', quae verba h. l. in hominem rapacem sunt dicta; fere eisdem significatur meretrix, cum iuvenem ad se allicere

studeat: Bacch. I, 1. 21: ‚mala tu es bestia'. Cfr. Menand. ὑποβολιμαῖος ἢ ἀγροῖκος frg. VIII. Meineke p. 214: πολλῶν κατὰ γῆν καὶ θάλατταν θηρίων ὄντων μέγιστόν ἐστι θηρίον γυνή. Arist. Equ. 273: ὦ πόλις καὶ δῆμ', ὑφ' οἵων θηρίων γαστρίζομαι; id. Plut. 439: ὦ δειλότατον σὺ θηρίον. id. Nub. 184: ὦ Ἡράκλεις, ταυτὶ ποδαπὰ τὰ θηρία.

belua fere eadem vi ac ‚bestia' de hominibus stultis vel impudicis dicitur. Trin. IV, 2. 110 sq.: tu edepol me arbitrare beluam Qui quidem e. q. s. (Brix vertit *‚Rindvieh'*, *‚Schafskopf'*); Most. III, 1. 42: abi sis belua; Ter. Phorm. IV, 2. 11: sed quid pertimui autem belua?; id. Eun. IV, 4. 36: age nunc, belua, Credis huic quod dicat?; Plaut. Most. III, 1. 78 sq.: neque ego taetriorem beluam Vidisse me umquam quemquam quam te censeo; Rud. II, 6. 59: impurata belua, Most. III, 1, 91: (obici) Iube huic argentum ob os impurae beluae. — Auctor est Cicero (orat. VIII) voci beluae Graecum respondere κίναδος, quod convicium extat Arist. Nub. 448 et Av. 430.

morticinus, convicium hominis nequam, proprie significat bestiam mortuam et aptissime comparatur nostro *‚Aas'*, *‚Luder'*; occurrit autem Pers. II, 4. 12: non hercle, si os perciderim tibi, metuam morticine. — Sequantur verba de actionibus bestiarum sumpta, quae metaphorice adhibita inveniuntur; omissa tamen sunt hoc loco ea verba, quae certis animalibus tribui solent, ut balare ovibus, latrare et gannire canibus etc., quae singularum bestiarum nominibus erunt adiungenda.

lacerare i. e. dentibus laniare haud raro notionem habet decipiendi vel perdendi vel damno afficiendi. Curc. IV, 2. 22: (vos fenore), hi male suadendo et lustris lacerant homines; Bacch. V, 1. 8: Chrysalus me hodie laceravit; Merc. I, 1. 51: laceravi valide suam rem; Ter. Ad. III, 2. 17: vah, quibus illum lacerarem modis; Ter. Hec. I, 1. 8: spolies, mutiles, laceres, quemquam nacta sis; Plaut. As. II, 2. 25: ‚lacerat diem', ubi dies quasi animal corpore indutum cogitatur; haud aliter legitur Stich. III, 1. 45: hunc lacero diem; cfr. Stich. III, 1. 36; Men. I, 2. 43.

delacerare: Capt. III, 5. 14: delaceravisti deartuavistique opes.

lamberare i. e. lambendo deterere vel perdere, idem fere valet ac lacerare. Pseud. II, 4. 53: ‚me meo ludo lamberas', quod nos alia imagine adscita proverbialiter dicimus: *Du zahlst mir mit gleicher Münze.* Cfr. Poen. I, 2. 83: meo me ludo lacessis.

ungulas inicere Pseud. II, 2. 48: ‚non licet huc inicere ungulas', h. e. quasi bestia rapax hominem opprimere et pecunia spoliare.

vorare proprie de bestiis voracibus cuiusque generis dicitur pro ‚avide cibum petere': Plautus hoc verbo compluries utitur in imaginibus a piscibus ductis. Curc. III, 61: ‚meus hic est, hamum vorat' i. e. quasi piscis meis dolis capitur; Truc. I, 1. 21: ‚interim ille hamum vorat' ad amatorem referendum est. Ad parasiti edacitatem spectat, quod legitur: Trin. II, 4. 74: ambabus malis expletis vorem; Ter. Eun. V, 4. 17: Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent. — Paulo aliter explicanda sunt verba Rud. II, 6. 61: ‚quaenam balaena meum voravit vidulum?' (cfr. balaena p. 35). Fere eandem vim ac verbum simplex habet compositum

devorare, As. II, 2. 71: ‚iam devorandum censes, si conspexeris' sc. argentum. Alii verba ‚quod si conspexeris' intellegunt mercatorem iuvenem et ‚devorandum' putant sensu obscoeno dictum esse. Quod suo iure reprobat Ussingius, cum verba adscita hoc modo explicet: ‚Tam cupidus huius lucri est, ut videatur in eum impetum facturus, cum primum conspexerit, et ferarum modo devoraturus'. Eadem sententia facillime cognoscitur ex verbis, quae extant Aul. II, 2. 17: ‚inhiat aurum, ut devoret; Rud. II, 6. 60: iam postulas te — totam Siciliam devoraturum insulam; Pseud. IV, 7, 26: dum calet, devorari decet. Quibus proximis verbis Plautus ad elocutionem proverbialem alludere videtur, quae invenitur Poen. IV, 2. 92: ‚At enim nihil est, nisi dum calet, hoc agitur' i. e. nisi occasione uteris, dum adest; translatio enim a ferro, quod dum calet, tundendum est. Uno loco vox devorandi adhibetur de meretrice lucri cupida, quae festive cum mari comparatur Truc. II, 7. 16 sq.: ‚Meretricem ego item esse reor mare ut est, Quod des devorat nec datis unquam abundat'. Transfertur autem devorandi verbum etiam a gutture bestiarum ad aures homi-

num Poen. V, 2. 9: quam orationem hanc aures dulcem devorant; As. III, 3, 59: auscultate atque operam date et mea dicta devorate. Cfr. Aristoph. II, 1009: φάγοιμ' ἂν ῥήματα et fab. inc. II, 1193 (75): ἐπὶ τῷ ταρίχει τὸν γέλωτα κατέδομαι. Miro modo devorare pro oblivisci positum invenitur Trin. IV, 2. 63: devoravi nomen imprudens modo.

inhiare metaphorice usurpatur pro ,vehementer cupere' vel ,quasi aperto ore captare', quod tractum est de lupo aut de pisce escam appetente: Aul. II, 2. 17: inhiat aurum; Mil. III, 1. 120: bona mea inhiant; Aul. II, 2. 89: id (thesaurum) inhiat; Truc. II, 3. 18: illum inhiant omnes; Mil. IV, 4. 62: inhiat quod nusquamst; Trin. I, 2. 133: adesurivit et inhiavit acrius lupus (sc. gregem i. e. aedes et thesaurum); Stich IV, 2. 25 hereditatem inhiat. — Ceterum haec metaphora etiam aliis poëtis Romanis usitata est, quos Graeca exempla secutos esse constat; cfr. Senec. Herc. Fur. 166: Hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians; Val. Flacc. II, 531: inhiat iam proxima praedae; Verg. Georg. II, 463: Nec varios inhiant pulchra testudine postes; Caec. ap. Gell. II, 23: morbum alicuius inhiare. Videtur igitur haec metaphora a Graecis adsumpta esse, praesertim cum apud Lucianum de mort. VI, 3 verbi ἐπιχαίνειν translatio inveniatur: Ἀλλοτρίοις ἐπιχαίνετε; id. Tim. 18 de avaris: ὥσπερ ὁ Τάνταλος ἄποτοι καὶ ἄγευστοι καὶ ξηροὶ τὸ στόμα ἐπικεχηνότες μόνον τῷ χρυσίῳ.

mordere a Plauto nusquam translata significatione commemoratur; apud Terentium reperitur loco sollicitandi vel offendendi Adelph. V, 3. 22: si id te mordet, sumtum filii Quem faciunt, quaeso hoc facito tecum cogites; Eun. III, 1. 21: invidere omnes mihi, Mordere clanculum; ib. III, 1. 55: quod eam mordeat. Cfr. Anaxil. fab. inc. I, 5: ὁ δ'ἕτερον δάκνει; Menand. κιθαρίστης fr. II, Meineke p. 149: τὸ κουφότατόν σε τῶν κακῶν πάντων δάκνει πενία; Menand. ὀργή fr. IV. Mein. p. 180: ὁ λιμὸς ὑμῶν τὸν καλὸν τοῦτον δακών; Arist. Equ. 1010: τό πέος οὑτοσὶ δάκοι; id. Nub. 1369: τὸν θυμὸν δακεῖν; id. Ach. 1: τὴν καρδίαν δέδηγμαι; id. Equ. 1372: τοῦτ' ἔδακε τὸν πόρπακα τὸν Κλεωνύμου. — Paulo alia vis subest verbo composito Plautino:

admordere: Pseud. IV, 7. 24: ,iam admordere hunc mihi lubet' i. e. insidias facere pecuniae; eandem sententiam prae-

bent ea verba, quae leguntur Pers. II, 3. 18 sq.: Nam — lepidumst triparcos — bene admordere.

mordax Truc. II, 4. 1: ‚ianua est mordax mea'; his verbis poëta alludere videtur ad inscriptionem illam ostiorum, quae Romanis usitata erat: ‚cave canem'! — A feris cuiusque generis, quae ab hominibus dolis magis quam armis capi solent hae metaphorae sumptae sunt: Pers. IV, 4, 45: ‚ego ille doctus leno in foveam incidi', quod respondet nostro: *„in die Falle gehen"*; Mil. IV, 9. 11: ‚ipsus illic sese iam impedivit in plagas', nos: *„sich im eignen Netze fangen" (Wander, deutsch. Sprichwörter-Lexikon II, p.* 1006). Trin. II, 1. 12: numquam amor quemquam nisi cupidum postulat se hominem in plagas Conicere; Poen. I, 1. 59: Ita decipiemus fovea lenonem Lycum.

B. Singulares animalium imagines.

a. Mammalia.

Quadrumana.

simia. Quae bestia cum omnium fere animalium propter ridiculam et deformem speciem contemptissima esset, apud Graecos et Romanos aeque atque apud nos convicium gravissimum exhibuit. Cfr. Lorenz ad Mil. glor. II, 2. 24. Itaque contemptim adhibetur a Plauto hoc nomen Most. IV, 2. 4: vide ut fastidit simia [1]). Graecum πιθήκιον affertur Mil. IV, 1. 42: ‚πιθήκιον

1) Occurrit simia etiam nonnullis locis, qui, cum proprie neque metaphoram neque comparationem praebeant non plane huc quadrant, quos tamen non omnino neglegendos esse putavi. Legitur enim Rud. III, 4. 66 sq.: ‚haec est simia, Quae has hirundines ex nido volt eripere ingratiis, quod ego in somnis somniavi'. Spectant igitur haec verba ad somnium quoddam a Daemone supra (III, 1. 1—8) explicatum, sed mihi persuasum est, poëtam non inconsulto simiae mentionem fecisse in somnio enarrando, ut postea risus movendi causa eam facilius ad Labracem, hominem despicatum referre posset. Similiter Merc. II, 1. 55 sqq. Demipho somnium commemorat, in quo ipsi res est cum simia, capra, haedo' ad hoc recurrens ibidem II, 1. 44: ‚haec', inquit, ‘illa est capra; et ib. II, 2. 5: ‚metuo, ne illius haec nunc simiae parteis ferat'. Apparet igitur Plautum bestiis etiam in somnia inductis risum audientium augere studuisse.

haec est prae illa', i. e. deformis haec est comparata cum illa. Apud Graecos πιθήκιον maledictum maxime in usu erat ad deformitatem hominis ludificandam; cfr. hos locos ex Aristophanis comoediis excerptos: Ach. 907; Eccl. 1072; Ran. 708; Av. 440; fragm. 347; et Dem. de cor. §. 242; Alciphr. κέρκωψ I, 28; in nostro proverbio dicitur de simia: *der schönste Affe ist ein hässlich Ding (Wander: deutsch. Sprichw.-Lex. I, p.* 35*)*. Ceterum Simia nomen servi in Plauti Pseudulo est, Pithecium serva appellatur Truc. II, 5. 24, quae nomina sine dubio aut propter faciei speciem aut propter mores ridiculos illis personis indita sunt. — Ad eandem bestiam spectat convicium

clurinum pecus Truc. II, 2. 14: 'Pudendum vero clurinum pecus Advenisti huc te ostentatum cum exornatis ossibus'; servus autem Astaphio seu deformitatem exprobraturus est seu malitiam, ut Lycophron v. 1000 Thersitem vocat ,πιθηκομόρφον', quia ingenio esset maligno.

Ferae.

sorex, parvum illud animal, cui homines insidiantur et facile mortem parant, in medium profertur a Terentio Eun. V, 6. 23: egomet meo indicio miser quasi sorex hodie perii; nos dicimus similiter *„mausetot"*, cfr. Philem. fab. inc. fr. CXVIII (Mein. p. 64): Ἀλλ' ἀπόλλυμαι κατὰ μυὸς ὄλεθρον. Append. Vat. II, 93: Μυὸς ὄλεθρος οἱ μύες ἀποῤῥεόντων αὐτοῖς τῶν μελῶν κατὰ βραχὺ φθείρονται. — De voce soricis derivatur adiectivum soricinus, quod occurrit apud Plautum Bach. IV, 8. 48: ,qua quidem te faciam confossiorem soricina nenia'. Soricina nenia est, ut Ussingius explicat, eiulatio soricis deprensi, qua nihil audiri potest miserius vel, ut Plauti aetate aliquis dixerat, confossius; nam facili hypallage vox animalis tam acuta tamque penetrans et ipsa confossa dicitur. —

Ut a verbo soricis formatur soricinus, sic a voce, quae est

mustela derivatur mustelinus, Ter. Eun. IV, 4. 22 sq.: ,hic est vietus, vetus, veternosus senex Colore mustelino'. Donatus ad hunc locum: ,Erravit', inquit, ,Terentius non intellegens Menandricum illud οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων. Ait autem stellionem, animal, quod lacertae non dissimile est, maculoso corio' e. q. s. Bentleius Menandri loci ductu et indicio ,colore stellio-

nino' reposuit, quod num recte fecerit, valde dubito. Negat enim ,nostrum dixisse, colore mustelino', negat ,ullum alium sic dixisse aut dicere potuisse', quia ,mustela, testibus Gesnero et Agricola, plerumque sit in dorso et lateribus rutila, raro subfulva, in gutture semper candida, quin nonnumquam tota candida reperiatur, quamquam rarius. ,Quid igitur?' pergit doctissimus ille vir, ,si color quisquam mustelinus dictus est, a qua corporis parte dictus est, a dorso an gutture? Si ab hoc, candidus est, si ab illo rutilus'. Sed non in animo est, ,quae vir eruditus multis verbis in hunc locum contexuit, excutere', nam luce clarius est, optime dici animal, quod maxima parte corporis colore est rutilo vel flavo, ipsum flavum vel rutilum esse; neque quisquam contenderit, animal esse colore candido, quia solum guttur candidum sit. Quis est, qui dicat, lepores esse albo colore, quoniam pectus et inferior corporis pars alba sit aut hic et illic fiat, ut lepus toto corpore albus inveniatur? Sed cetera huiusmodi exempla enumerare, metuo, ne non minus superfluum sit, quam Bentlei illa coniectura. Nam sive errans sive prudens atque sciens Terentius recessit a Menandro, illud satis patet, colorem mustelinum esse flavum vel rutilum; praeterea autem criticorum esse non poëtam corrigere sed contextum hac aetate omnes consentiunt.

ictis, animal parvi pretii Capt. I, 2. 81: ,i modo venare leporem: nunc ictim tenes', proverbium de eis, qui conditionem parum commodam nacti meliorem quaerere iubentur, h. l. significat: quaere convivium delicatius, haec coena, ad quam te vocavi, vilissima est.

canis, animal domesticum, quod homini servit aut domum aut gregem custodiens aut in venando feras vestigans et captans, a Plauto saepius in comparationibus adhibetur. Trin. I, 2. 133 — 135: Meg.: ,Lupus opservavit, dum dormitaret canes; Gregem univorsum voluit totum avortere. Coll. Fecisset edepol, ni haec praesensisset canes': Canis est amicus patris, qui lupum i. e. filium prodigum a re familiari (grege universo) prohibuit. As. III, 3. 148: ,qui hosce amores nostros dispulsos compulit'; comparatur igitur servus cum cane, qui amores quasi pecudes dispulsas ex errore reduxit. Bacch. V, 2. 27: Et praeter eos agnos meus est istic clam mordax canis. i. e. Chrysalus, qui

puellas a se non dimittit. — Ad canes venaticos pertinent Stich. I, 2. 82: stultitiast, pater, venatum ducere invitas canes; simile nostrum est proverbium: *„Ein Hund, den man zur Jagd treiben muss, fängt nicht viel Wild"*; cfr. Francogallorum: la chasse va mal, quand il faut y porter les chiens. (*Wander: deutsch. Sprichw. Lex. II. p.* 835). Est autem hoc proverbium de eis, qui aliquid suscepturi sunt, quod nullum commodum afferre potest; nostro loco Plautino exprimitur metaphorice, stulti esse virgines cogere, ut nubant. Mil. II, 2. 113 sq.: ibo odorans quasi canis venaticus, Usque donec persecutus volpem ero vestigiis; Poen. III, 3. 34: ‚Cum praeda hic hodie incedet venator domum. Canes compellunt in plagas lepide Lycum'; canes intellegendi sunt advocati; Capt. I, 1. 17 sq.: ‚prolatis rebus parasiti venatici canes sumus'; venaticis enim canibus cibus deducitur, ne pinguitudo celeritati officiat. Curc. I, 2. 13: ‚canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax nasum habet'; anum narium indicium sequentem cum cane comparat poëta. Cas. II, 5. 12: ‚quasi venator tu quidem es: dies atque noctes cum cane aetatem exigis; cum cane h. l. est cum muliere litigiosa. Saepius autem canis in malis partibus versans ad mulieres rixantes refertur. Men. V, 5. 34: dudum uxorem suam esse aiebat rabiosam canem; Poen. V, 4. 66: hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem; Curc. V, 1. 8: ‚apage istanc caniculam' i. e. Planesium cane mordaciorem; Cas. V. 4. 4: caninam scaevam spero meliorem fore; Men. V, 2. 84: illa me ab laeva rabiosa femina adservat canis. — Qua ratione autem vis malitiosa vocis canis in proverbii consuetudinem venerit, indicatur Men. V, 1. 14 sqq.: Me: ‚Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graii esse praedicabant? Matr.: Non equidem scio. Me: Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis. Omnia mala ingerebat, quemquam aspexerat: Itaque adeo iure coepta appellarist canes'. Cfr. Cic. Tusc. III, 26. 63: Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam. Ov. Metam. XIII, 549; Iuv. X, 271. — Mirum convicium extat Most. I, 1. 40: ‚canes capro commista', i. e. homo foetide et abiecte. Ceterum iam apud Homerum canem symbolum hominis impudici et despicati fuisse

satis notum est[1]). Cfr. Il. VI, 344; Od. XIX, 91; Il. IX, 373; ib. XI, 362 etc., quin etiam in sanctis libris nostris exempla invenies Parab. Solom. 26, 11; Iob. 30, 1; Apocal. Ioan. 22, 15. all. Non deest tamen locus, ubi vox deminutiva **catelli** blande dicta est de meretrice: As. III, 3. 103: ‚Dic igitur med anaticulam, columbam vel catellum'. Alio sensu adhibetur catellus: Curc. V, 3. 13: ‚delicatum te hodie faciam cum catello ut adcubes. Ferreo ego dico'. Delicati homines catellos secum patiebantur cubare, sed ferreum quoque vinculum quoddam vocabatur catellus. Cfr. Plat. com. ap. Poll. X, 167: σκύλαξ et Plaut. Cas. 366: canem et furcam feras. Denique catellus ad comparandum affertur Stich. IV, 2. 40: Tantillum loci, ubi catellus cubet, id satis erit mihi. — Restant nonnullae aliae imagines a cane petitae; quae quid sibi velint facile intellegitur. Rud. III, 6. 5: Quid ego, quasi canem hominem insectarer lapidibus nequissimum; Amph. II, 2. 48: eum salutat magis haud quisquam quam canem; Capt. III, 1. 25 sq.: ‚ne canem quidem inritatam voluit quisquam imitarier, saltem si non arriderent dentis ut restringerent'. Nam ut canes irritati latrando dentes restringunt, ita etiam hominis ridentis dentes apparere solent, cfr. Epid. III, 3. 48: albis dentibus deridere. Trin. IV, 1. 16: quasi canes haud secus navem circumstabant turbine venti; Poen. V, 4. 64: ‚etiam me meae latrant canes' i. e. qui pro me facere debent, mihi adversantur; nos: *die eignen Hunde beissen ihn (Wander II, p.* 896*)*. Pseud. I, 3. 85: ‚una opera adligem canem fugitivam agninis lactibus'. Lactes sunt intestina, quae pro cuppediis habebantur (cfr. Lorenz ad h. l.); sententia autem haec est: tibi si crederem, idem agerem, ac si quis fugitivam canem adligaret lactibus agninis: ut haec una cum lactibus sic tu aufugeres una cum pecunia. — Idem fere quod canis valet **oblatratrix** Mil. III, 1. 87: ‚set nolo mi oblatratricem in aedis intromittere'; oblatratrix, quae est h. l. mulier litigiosa, derivatur a verbo latrandi, quod invenitur Poen. V, 4. 64 (vide supra) et Cas. prol. 34: ‚latranti nomine', quorum verborum sententia non plane liquet, cfr. Koenig: Nom. propr. ap. Plaut. et Ter. p. 25. —

[1]) Qua in re canis impudicitia posita sit, explicat Friedreich: *Real. z. Il. u. Od., p.* 100 *adn.* 3.

Latrando synonyma sunt verba **ganniendi** et obganniendi. As. II. 4. 16: ,Quin centies eadem imperem atque obganniem'. Varro L. L. VI laudat Plautinum illud: ,gannit odiosus omni totae familiae'. Festo gannitio est canum querula murmuratio et Lucretius V, 1070 gannitum canibus adulantibus tribuit. Inde ad humanam vocem transferri testatur Nonius Marcellus. Alii gannire proprie vulpium esse dicunt, sed nos quoque et canum et vulpium vocem verbo *„bellen"* significamus. Apud Terentium hoc verbum ad homines translatum invenitur: Phorm. V, 9. 41: Habet haec ei quod, dum vivat, usque ad aurem oggannìat; Ad. IV, 2. 17: Quid ille gannit?

catulus: Epid. IV, 2. 9: ,aliter catuli longe olent, aliter sues', quo proverbio significatur: ut catuli ipso odore cognoscuntur, utrum canes sint an sues, ita hominum natura docet, quo quisque loco sit oriundus; verba ex Epidico citata ita quadrant in sententiarum connexum, ut Philippa dicere velit: non certius catulum a porcello canis et sus porcellum dignoscet a catulo, quam ab hac meretrice ego filiam meam.

lupus maxime propter rapacitatem et agnorum inimicitias Graecis et Romanis non minus quam nobis notus erat. Inde ortae sunt hae dictiones proverbiales, quae a Plauto usurpantur Poen. III, 5. 31: ,lupo agnum eripere postulant' i. e. postulant, quod perfici posse vix cogitari potest; Pseud. I, 2. 8: ,ut mavelis lupos apud oves linquere quam hos domi custodes'; similiter Ter. Eun. V, 1. 16: ,ovem lupo commisisti', quae utraque dictio idem valet: rem aliquam ei committere, qui natura atque moribus inducitur, ut illi rei insidietur; nos dicimus: *„den Bock zum Gärtner machen"*. Cfr. Ovid. a. a. II, 364: Plenum montano credis ovile lupo; ib. III, 8; Cic. Phil. III, 11. 27: o praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum; Diogenian. v. 96: Λύκος ὄϊν ποιμαίνει. — Trin. I, 2. 133: lupus opservavit, dum dormitaret canes e. q. s. vide p. 19: canis; Truc. III, 1. 11 sq.: Fuit edepol Mars meo periratus patri: Nam oves illius (i. e. viginti minae mihi datae) haud longe absunt a lupis (i. e. ab eis, qui pecuniam rapient). As. II, 4. 88: ,lupus est homo homini'; alluditur hoc proverbio ad perfidiam et dolum, quae lupo tribuuntur. Cfr. λυκοφιλία: Plat. ep. 3. p. 318 E. Marc. Ant. 11, 15. Eus. h. eccl. 6, 43. λυκοφίλιος: Meineke,

Menand. p. 254. Plat. Phaedr. p. 241 D: ὡς λύκοι ἄρν' ἀγαπῶσιν. — Capt. IV, 4. 4: Quasi esset lupus esuriens metui, ne in me faceret impetum; Stich. IV, 2. 25: Nam illic homo tuam hereditatem inhiat quasi esuriens lupus. Cfr. Euphr. Mein. frg. com. Graec. IV, p. 487 v. 30—31: χανεῖν λύκον, de quo proverbio cfr. Leutsch. ad Diogen. VI, 20 et Eubul. Aug. v. 11. Loco Euphroniano ludit poëta verbo λύκου in nomine coqui, quem Lycus appellatum fuisse docent vv. 1 et 21, similiter atque Plautus Poen. III, 3. 33 sq.: Hunc nunc, Lyce, ad te deripiendum adducimus. — Canes compellunt in plagas lepide Lycum. — Notissimum porro est illud proverbium, quod etiam in nostram linguam transiit: ‚lupus in fabula'. Haec verba obviam fiunt in Ter. Ad. IV, 1. 21; Plautus paulo aliter dicit Stich. IV, 1. 71: ‚atque eccum tibi lupum in sermone'. De origine huius adagii ita Servius ad Verg. Ecl. IX, 54: ‚Hoc etiam Physici confirmant, quod vox detrahitur ei, quem primum viderit lupus. Unde etiam proverbium hoc natum est: ‚lupus in fabula', quoties supervenit ille, de quo loquimur, et nobis sua praesentia amputat facultatem loquendi'. Utitur eo Cic. Att. XIII, 33 et laudat Donatus ad Verg. Aen. III, 477; cfr. Theocr. XIV, 22: οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες; Plin. VIII, 22, 34. Donatus praeterea addit: ‚Alii putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi paulatim e cavea venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est, quod dicitur, intervenisse lupum Naevianae fabulae, Alimoniae Remi et Romuli, dum in theatro ageretur'. — Restat aliud proverbium, quod invenitur Ter. Phorm. III, 2. 21: ‚auribus teneo lupum' i. e. in summis angustiis versor; nam qui lupum auribus tenet, nec dimittere nec retinere potest sine periculo. Meineke, fragm. com. IV, p. 446, 5 hunc locum Terentianum afferens addit verba: ‚Donatus fortasse ex Apollodoro adscripsit graecum proverbium: τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι. Cfr. nostrum: *den Hund beim Schwanz und den Wolf beim Ohr halten (Wander II, p. 883).*

vulpes ut est bestia cauta pavidaque non facile a venatoribus capitur eamque ob causam aptissima est, quae cum homine callido comparetur. Mil. II, 2. 114 (ibo) usque donec persecutus volpem ero vestigiis. Cfr. Meineke, fragm. com.

Graec. IV, p. 667: Phyrnichus p. 64, 26: Τρυπαλώπηξ: ὁ διὰ πανουργίαν πάντα τρυπῶν καὶ ἐργάζεσθαι δυνάμενος. — Proprio sensu vulpes adhibita est Most. III, 1. 32: ,Tam facile vinces, quam pirum volpes comest'. Quae verba quamquam proverbium olent, tamen neque apud Graecos neque apud Romanos scriptores alibi occurrunt, ut Lorenzius ad h. l. commemorat. Dissentiunt autem interpretes in explicanda sententia. Alii enim, inter quos Erasmus, putant, proverbium esse de re factu proclivi, quod nihil sit negotii vulpi dentatissimae pirum edere; alii optimo iure id contra proferunt, quod vulpes gallinas et alia minora animalia comesse solent, non pira. Quarum interpretationum cum altera alteri repugnare videatur, ad diiudicandam rem sententiarum connexus accuratius respiciendus est. Tranio enim servus Theuropidem senem ludificatur: ,Ego quid censeam? inquit III, 1. 29 sq. ,Cape — una cum eo (sc. qui tibi aedes vendidit et hospitem necavit) iudicem'. Sed cum caedes illa hospitis plane ficta sit, Theuropidi nulla spes vincendi esse potest. Dicit igitur servus callidus: ,tam facile vinces, quam pirum volpes comest', vulpes autem pirum numquam comest. Verum tamen senex voce ,facile' ex consilio servi deceptus ita verba illa explicat: ,facillime vinces, nam nihil est negotii vulpi dentatissimae pirum edere'. Ita mea sententia utraque explicatio coniungenda est nec aliter verba intellegi possunt.

feles: hoc cognomen lenoni per convicium tribuitur, qui sicut feles aliis bestiis insidias faciunt, ita virgines rapit Pers. IV, 9. 14: scelesta feles virginaria *(„Mädchenräuber")*; Rud. III, 4. 43: tunc hic feles virginalis *(„Mädchenmarder", Donner)* liberos parentibus sublectos habebis.

leo, audacia et robore maxime insignis, adversarius est periculosissimus hominum; sed tamen Toxilus Pers. I, 1. 3 sq.: ,nam cum leone', inquit, ,cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico, Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo deluctari malui, Quam cum Amore'. Alludit poëta his verbis ad notissimos illos labores, quibus Hercules dei gloriam assecutus est. — Leo vetus et imbecillus contemptim dicitur senex Men. V, 2. 111: ,ut ego hunc proteram leonem vetulum, olentem, edentulum'; simili ratione Plautus anum voracem et bibacem, quae persona

in Curculione occurrit, nomine Leaenae appellavit. Ad leonum iracundiam, quam levi irritatione vehementissime inflammari constat, spectant verba, quae obviam fiunt Men. I, 2. 49: ,etiam nunc concede audacter ab leonino cavo' i. e. a domo mea, in qua uxorem, leaena saeviorem, inclusam habeo; Brixius confert ad rei condicionem Ter. Phorm. V, 1. 14.

pantherinus. Epid. I, 1. 16: ,caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum genus'; comparat autem pantheras propter pellem maculosam cum hominibus, quorum latera et dorsa verberibus virgarum variis coloribus affecta sunt. Cfr. Pseud. I, 2, 12: ego vestra latera loris faciam, ut valde varia sint; similiter: Poen. prol. 26; Mil. II, 2. 61. Voce, quae est caprigenum, alludit Plautus ad id, quod ex vulgi opinione tradunt Varr. l. 2 R R c. 3 et Plin. l. 8. c. 50. capras numquam febri carere.

Rosores vel glires.

Animalia, quae hoc ordine continentur, nomen duxerunt a consuetudine **rodendi**, quod verbum composita forma de hominibus usurpatur Pseud. III, 2. 91—94: Nam ego ita convivis cenam conditam dabo ut quisque — ipsus sibi — digitos **praerodat** suos; et ib. III, 2. 97: ,ut praerodatis vostras furtificas manus'. Nos dicimus: *„alle fünf Finger darnach lecken"*. Cfr. fragm. com. Graec. Meineke II, p. 255 (2): περιτρώγειν αὐτῶν τοὺς δακτύλους; II, p. 388 (1): ἅπαντας ἀπέδομαι τοὺς δακτύλους; III, p. 362 (3): κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους; III, p. 462 (I, 5): προςκατέδει τοὺς δακτύλους.

mures etiam apud nos eam ob causam notissimi sunt, quia cibos hominum et alias res in domibus edentes nocent et molesti sunt. Aptissime igitur parasiti, qui invocati cenis alienis vivunt, cum muribus comparantur. Pers. I, 2. 6: quasi mures semper edere alienum cibum; Capt. I, 1. 9: quasi mures semper edimus alienum cibum; cfr. Athen. VI, 238, e. Diogenes, cum mures videret ad mensam suam subrepere: ,ecce tibi' inquit ,etiam Diogenes parasitos alit'. Ad murum facultatem in parietibus erependi alludit Plautus Cas. I, 52: ,quasi mus in medio pariete vorsabere'. Murum sapientia et providentia homini exemplum ad imitandum praebet Truc. IV,

4. 15—17: ,Cogitato mus pusillus quam sit sapiens bestia, Aetatem qui non cubili uni umquam committit suam, Quia, si unum obdit obsidiator, aliud perfugium tegit'. Cfr. nostrum proverbium: *„das ist wohl eine arme Maus, die nur weiss zu einem Loch hinaus"*.

lepus, cuius timiditas in proverbii usum venit, a Terentio in medium profertur Eun. III, 1. 36: ,Lepus tute es et pulmentum quaeris' i. e. ipse es ignavus et unum quemque times, nunc tu alios persequi vis? — Lepus, animal icti pretiosius, vide p. 19: ictis; blande dictum Cas. I, 50: ,mea columba, mi lepus' e. q. s. A ludis publicis, ubi etiam lepores producebantur, haec comparatio petita est Pers. III, 3. 31: ,citius extemplo a foro fugiunt, quam ex porta ludis quum emissust lepus'; in caveis enim erant portae ad bestias emittendas, cum ludi in circo edebantur.

Solidungula.

equus: Ad huius bestiae alacritatem et robur spectant verba Cas. IV, 3. 12: si esses equus, esses indomabilis. — In Asinaria Libanus servus Argyrippo, ut pueri solent, per iocum pro equo utitur, ita ut vehatur adolescente tamquam equo; dicit autem As. III, 3. 114: ,nec te equo magis est equus ullus sapiens'. Ad hoc respiciens pergit ib. 116: ,Demam hercle iam de hordeo, tolutim ni badissas' et 118 sqq.: ,Nam iam calcari quadrupedo agitabo advorsum clivom; Pos ted ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens. Asta ut descendam nunc iam in proclivi, quamquam nequam es'. — Navis vocatur equus ligneus Rud. I, 5. 10: ,Nempe equo ligneo per vias caeruleas estis vectae'; quae similitudo navium et equorum iam ab Homero commemoratur Od. IV, 708: νηῶν —, αἵ ϑ'ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίνονται. Cfr. Friedreich: *Realien* §. 103 adn. 2. — In hominem libidinosum dicitur Mil. IV, 3. 19 sq.: ,ne tu quidem Ad equas fuisses scitus admissarius, Qui consectare qua maris qua feminas'. Cfr. Eubul. Παννυχίς ap. Athen. 13 p. 668 E: πωλούς κυπρίδος ἐξησκημένας vocat meretrices; Brixius confert ad illum locum Plautinum Men. I, 2. 50: edepol ne tu, ut ego opinor, esses agitator probus'. — Senex amoris gaudiis fruendi impotens iocose **cantherium** se appellat Cist. 39 sq. (frg. ap. Mai.): ,quamquam

vetus cantherius sum, mihi nunc, ut ego opinor, adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli'. — Cum contemptu quodam posita invenitur vox cantherii Aul. III, 5. 20: ,Ego faxim, muli, pretio qui superant equos Sint viliores Gallicis cantheriis'. Hoc loco muli, equi, cantherii, qui pretio valde differunt, pro feminis varie dotatis accipiendi sunt; verbis autem illis haec fere sententia subest: feminae divites, quae pluris aestimantur quam puellae virtutibus solum ornatae, frequentiores iuvenibus praesto erunt, quam mulieres contemptione dignae. — Cantherii prae ceteris equis somniculosi dicuntur esse, ita ut stantes dormire soleant. Haec cantheriorum consuetudo significatur Mil. II, 2. 62: ,eho, cantherie, me hauscis te alloqui?' Recte Lorenzius hanc lectionem Hauptianam (ind. lectt. Berol. aest. 1858 p. 4 sq.), quae propter codicum memoriam depravatam dubia est, optime ad sententiam quadrare docet in adnotatione huic loco addita. Dicit enim: *„cantherie scherzhaft mit Bezug auf die oben angedeutete Haltung des tief in Nachdenken versunkenen Palästrio, der wie ein Pferd (noch dazu wie ein schläfriger Wallach) stehend einzunicken und zu träumen scheint"*. Huc accedit, quod haec scriptura a traditarum ductu litterarum, quae sunt ,anheriatus vestis heus' pro ,cantherie me hauscis' non nimis diversa est. Quare Lorenzium sequi non dubitavi[1]), praesertim cum ea verba, quae sunt proxima: ,vigila, inquam, expergiscere'! ad cantherium somniantem bene referri possint. Cantheriorum enim natura somnio indulgens comparandi causa affertur Men. II, 3. 44: ,haec cantherino ritu mulier astans somniat. Cfr. Brixium ad h. l. — Jam commemorandae sunt dictiones, quae ab equis ductae et ad homines translatae sunt; huc spectant: Capt. III, 5. 97: ,usque offrenatum suis me ductarent dolis', i. e. capistro quasi ori meo iniecto dolis suis ductarent me, quo eis liberet: Brixius vertit: *„an der Nase herumführen"*. Cfr. Menand. sent. IV,

---

[1]) Ceterum etiam Ritschelii emendatio, quae est: ,an, heureta, me hauscis' satis apta videtur esse; minus placet quod Brixius Madvigium secutus scripsit: ,ah feriatus ne sis, heus'! deletis eis verbis, quae sequuntur in codicibus: ,te adloqui'.

342 (81): γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν. — Diph. IV, 624 (77): περίθες σαυτῷ τὸν πνιγέα. — (Ter. Eun. II, 2. 54: ne tu istanc faxo calcibus saepe insultabis frustra).

asinus aeque atque apud nos a veteribus ignominiae causa ad hominem stultum transfertur. Pseud. I, 2, 4: ,neque ego homines magis asinos unquam vidi'. Ter. Ad. V, 8. 12: tu autem huic, asine, auscultas? Ter. Heaut. V, 1. 3 sq.: in me quidvis harum rerum convenit, Quae sunt dicta in stulto: caudex, stipes, asinus, plumbeus. Ter. Eun. III, 5. 50: (videre vellem) ,flabellum tenere te asinum tantum'. — Asini multo viliores sunt, quam boves; ad hanc rationem pertinet comparatio planius explicata, quae legitur Aul. II, 2. 49—58: ,Venit hoc mi, Megadore, in mentem: ted esse hominem divitem, Factiosum, me autem esse hominem pauperum pauperrumum. Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit, Te bovem esse et me esse asellum: ubi tecum coniunctus siem, Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto: Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem. Et te utar iniquiore et meus med ordo inrideat. Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divorti fuat. Asini mordicus me scindant, boves incursent cornibus. Hoc magnumst periculum ab asinis ad boves transcendere'. v. 53: ,iaceam in luto' i. e. in summis angustiis versabor; cfr. Pseud. IV, 2. 27: nunc homo in medio lutost; Pers. IV, 3. 66: tali ut in luto haeream; Ter. Phorm. V, 2. 15: ,in eodem luto haesitas', nos dicimus: *im Sumpfe stecken.* v. 58: ,ab asinis ad boves transcendere', h. l. significat: nimis magna petere, contrarium est nostro: *vom Pferd auf den Esel kommen;* cum loco illo Plautino conferas Meineke fragm. com. Graec. IV, p. 698 (376): εἰ μὴ δύναιο βοῦν ἐλᾶν, ἔλαυν' ὄνον, quod Zenobius III, 54 hoc modo declarat: ἐπὶ τῶν ὃ κατὰ δύναμιν ἔχουσιν πράττειν παρεγγυωμένων. — Proverbium olet, quod reperitur Poen. III, 3. 71: ,illud (sc. lucrum) quidem quorsum asinus caedit calcibus'; iactat autem asinus calces retro, ita etiam lucrum a Lyco abscedet retrorsum. — In comoedia illa, quae Asinaria (sc. fabula) inscribitur, Plautus nummos pro venditis asinis acceptos asinos appellat: As. III, 2. 43 sq.: nimis vellem habere perticam — qui verberarem asinos, si forte obceperint clamare hinc ex crumena.

mulus convicium est grave, quod homini voraci inditur Most. IV, 1. 22: ‚Iam hercle nunc ire vis, mule, pastum foras' i. e. properas in popinam aliquam, ut te farcias, sicut mulus, qui tractis retinaculis pastum abit. — Muli atque asini summa patientia omnia ferunt, quae eis ab hominibus imponuntur, stulti autem habentur homines, qui asinos hac virtute aequare solent. Quam ob rem Tranio senes duos ludificans Most. III, 2. 91—95: ‚Vehit hic', inquit, clitellas, vehit hic autem alter senex; — muliones mulos clitellarios habent, ego habeo homines clitellarios. Magni sunt oneris: ‚quidquid imponas vehunt'; ut enim mulis imponuntur sarcinae, ita servus in senes cumulat dolos et fallacias. Lorenzius: *Die beiden Alten kann er wie die dümmsten und geduldigsten Esel behandeln; sie lassen sich alles gefallen.* — Aliter adhibetur vox muli Aul. III, 5. 20: ‚ego faxim muli, pretio qui superant equos' e. q. s. vide p. 27.

Ruminantia.

cervus fere omnes bestias celeritate superat, quare Poen. III, 1. 27: ‚vinceretis cervum cursu'; contrarium est: vicistis cochleam tarditudine: ib. III. 1. 29. — Pers. I, 1. 3: ‚cum cervo — deluctari malui, quam cum Amore'; vide p. 24: leo.

ovis similiter atque asinus ad stultum hominem vel inscientem transfertur. Bacch. V, 2. 3 sqq. senes ludificandi festive quasi oves tractantur: oves appellantur, voce balant, cum soli ambulentur, a cetera pecude absunt, attonduntur i. e. decipiuntur, etc.; hi autem sunt versus, qui huc pertinent: Bacch: quis oves huc adegit? Ni: Ovis nos vocant pessumae. So.: Pastor harum dormit, quom eunt sic a pecu palitantes. Bacch.: At haut pol nitent: sordidae ambae videntur. So.: Attonsae quidem ambae usque sunt. (Cfr. ib. V, 1. 9: ‚me attondit[1]) dolis doctis' et ib. II, 3. 7, quod videas p. 30: aries). — V, 2. 9 sq. Bacch.: Rerin' ter tu in anno has ovis tonsitari? So.: Pol hodie altera haec iam bis detonsa certost. Bacch.: Vetulae sunt minae ambae. — v. 13: quae nec lacte nec lanam habent. v. 17: ne balant quidem, quom a pecu cetero apsunt?

[1]) Eadem sententia tondendi verbo subest Capt. II, 2. 16 sqq., ubi metaphora de tonsoris artificio tracta est.

Perseverant senes in ovium similitudine, cum respondeant: v. 20. Phil.: hae oves vobis malam rem magnam, quam debibent, dabunt. v. 26: Phil.: Quia nostros agnos conclussos istic esse aiunt duos. Ni.: Et praeter eos agnos meus est istic clam mordax canes, Qui nisi nobis producuntur iam atque emittuntur foras, Arietes truces nos erimus: iam in vos incursabimus. — Merc. III, 1. 26: ovem tibi eccillam dabo natam annos sexaginta peculiarem. Pers. II, 1. 5 sq.: ‚Nam equidem te iam sector quintum hunc annum: interea credo, Ovis si in ludum iret, potuisset fieri ut probe litteras sciret'. Cuius loci scriptura dubia est, nam Ritschelius Gruteri coniecturam accipiens ‚cucus' pro ‘ovis’ posuit; Saraceni editio ‚cuculus' praebet, Pius ‚canis' scripsit, Bergkius denique, qui ‚ovis' proposuit, ad id, quod verisimile est, proxime accessisse videtur. Veterrimorum enim codicum lectiones sunt: ‚QUI' (QUIS?) (A) et ‚Cuis' (B), quas facillime ex ‚OUIS' oriri potuisse apparet; Gruteri autem emendatio, quam eandem satis facilem esse fateor, eam ob causam minus probabilis videtur esse, quia forma, quae est ‚cucus', cum ceteris scriptoribus Romanis maxime inusitata est (in Klotzii Lexico plane deest), tum apud Plautum alio loco non occurrit; compluries reperitur cuculus (vide hanc vocem infra). Cfr. Brix. ad Trin. 245. Sententia autem, quae evadit, si ‚ovis' legitur, omni ratione perfecta est; nam ovis ut in aliis exemplis ad stultum hominem indicandum usurpatur. Cfr. etiam Arist. Nub. 1203: τί κάθησθ' ἀβέλτεροι, ἡμέτερα κέρδη τῶν σοφῶν, ὄντες λίθοι, ἀριθμός, πρόβατ' ἄλλως; Propert. II, 16. 8: et stolidum pleno vellere carpe pecus. — Proprio sensu Terentius ovem inducit Ad. IV, 1. 18: cum fervit maxume, tam placidum quam ovem reddo.

vervex: ignominiose dictum de homine stulto Merc. III, 3. 6: itane vero, vervex *(„Schöps")*, intro eas. Cfr. Juv. X, 50. — Cas. III, 2. 5: ‚ne qua ignarissumis liberi loci potestas sit vetulis vervecibus'; senex ad Venerem ineptus vocatur vervex.

aries: Bacch. V, 2. 29: ‚arietes truces nos erimus' e. q. s. vide p. 30 in. — Phrixi aries comparandi causa affertur Bacch. II, 3. 7: ‚quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi, ita detondebo auro usque ad vivam cutem'; cuius loci sententiam Lambinus explicat: ‚divitem senem cum Phrixi ariete

comparat, cuius aureum vellus Phrixus Aeetae donavit. Hic quin aurum omne inde detraxerit, Chrysalus non dubitavit, et similitudine usus in hac re vulgari ait se eodem modo senem detonsurum et quidem ‚usque ad vivam cutem' i. e. ‚ut nuda cutis relinquatur'. Cfr. Eubul. Δόλων III: πρός φθεῖρα κείρασθαι.

arietare i. e. quasi arietem incursare in aliquid: Truc. II, 2. 1: ‚quis illic est, qui tam proterve nostras aedis arietat?', quae idem significant ac Stich. II, 2. 1: ‚quisnam, obsecro, has frangit fores'? Cfr. Arist. Lys. 309: εἰς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσοιμεν.

arietinus: fragm. ap. Gell. III, 3. 8: ‚nunc illud est, quod arietinum responsum magnis ludis dicitur: peribo si non fecero, si faxo vapulabo'. Arietinum responsum id est, quod quocunque modo explicas, malum futurum indicat, sed unde orta sit illa dictio non satis apparet. Cfr. Serv. ad. Aen. IV, 196.

agnus. Truc. II, 7. 53: Iam ego te hic agnum faciam et medium distruncabo; Poen. III, 5. 31. vid. lupus. p. 22; Bacch. V, 2, 26 sq.: vid. ovis p. 30.

agnellus: blande dictum As. III, 3. 77: Dice igitur me passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum e. q. s.

mastruca proprie est pellis ovilis vel vestis scortea, quae pessime olebat, qua Sardi utebantur et barbari septentrionales; haec vox ad homines translata contumeliam gravissimam exhibet: Poen. V, 5. 34.

hircus haud raro a Plauto ignominiose appellatur homo sordidus et abiectus vel incestus Cas. III, 2. 20: hirqui improbi, edentuli etc.; Most. I, 1. 39: rusticus, hircus, hara suis e. q. s.; Merc. II, 2. 1: profecto ego illunc hircum castrari volo; cfr. Merc. II, 2. 4: quasi hircum, metuo ne uxor me castret mea; Men. V, 2. 85 sq.: poste autem illic hircus calvos, qui saepe — Perdidit civem innocentem falso testimonio'. Uno loco taeter ille odor subalaris dicitur hircus: Pseud. II, 4. 47 sq.: ‚sed istic servos — ecquid sapit? Char. Hircum ab alis'; vid. Lorenz. ad h. l. Cfr. Hor. epod. XII, 5; Arist. Pax. 804: Μελάντιος — ἀδελφός τε καὶ αὐτὸς — τραγομάσχαλοι. — Ad eandem rem spectat adiectivum de hirco derivatum, quod est

hircinus: Poen. IV, 2. 50 sq.: istae (sc. alae) iam his duobus mensibus volucres tibi erunt tuae hirquinae'. — Aliam vim

habet ‚hirquinus'. Pseud. IV, 2. 12: ‚qui cum hirquina barba astas, responde quod rogo'. Hirquina barba in acutum desinit, itaque hanc vocem a Plauto adhibitam esse pro Graeco σφηνοπώγων Lorenzius suspicatus est cfr. Luc. ep. sat. 24; Poll. IV, 143 sq. In Graecorum comoediis senum personae σφηνοπώγονες erant.

hircosus sensu ignominioso supra indicato usurpatur Merc. III, 3. 14: eiunitatis plenus anima fetida, senex hircosus, tu osculere mulierém?

haedus: Poen. prol. 31: ‚neve esurientes hic quasi haedi obvagiant'. Varr. L. L. VII, 104 vagire proprie haedorum esse dicit, quare hoc loco, quasi haedi'. De haedo in somnio Merc. II, 1, 45: vid. simia p. 17 adn.

haedillus: blande dictum As. III, 3. 77: dice igitur me passerculum — haedillum.

caper: Most. I, 1. 40 vid. canis p. 20 s. f.

capra. Merc. II. 1. 44: ‚haec illa est capra' vid. p. 17 adn.

caprigenus. Epid. I, 1. 16 vid. pantherinus p. 25.

caperare: Epid. V, 1. 3: ‚caperat frons'; caperandi verbum Varr. L. L. VI. et Non. I, 27 ductum esse docent a caprarum frontibus crispis; caperat igitur frons, quae contrahitur et in rugas componitur, quod est severi animi signum; occurrit teste Varrone etiam in Cn. Naev. Dolo (Ribbeck: fragm. com. Rom. II, p. 14): caperata fronte. Cfr. Plaut. Amph. prol. 52: contrahere frontem et Bacch. in supp. prol. 3: consulcare frontem.

taurus: Pseud. I, 2. 67: ‚id tibi profecto taurus fiet'; intellegit h. l. poëta taurum, ad quem filii illi duo Iovis matrem Dircam alligabant, quare exprimitur illis verbis: non minus tu ibi vexaberis quam Dirca a tauro est vexata. Cfr. vv. antecedentes.

bos. Aul. II, 2. 52 sqq., ubi bos cum homine divite, asinus cum paupere comparatur, vid. sub voce asini p. 28. — Truc. II, 2. 22 sq.: ego me ruri amplexari mavelim patulam bovem Cumque ea noctem in stramentis pernoctare perpetim, Quam tuas centum cenatas noctes mihi dono dari'. Paul. Fest. p. 221 M.: ‚Patulum bovem Plautus appellat, cuius cornua diversa ac late pateant'. — Poen. III, 2. 21: ‚macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves'. Haec verba ex Graeco quodam comico hausta videntur esse,

quod ex antecedente versu concluserim. Sensus, quantum equidem intellego, hic fere est: hoc auro distributo homines pauperes in externa terra divitias parant. — Notum est boves graminibus et herbis pasci, quae edere homines spernunt; quam ob causam coquus aliorum coquendi rationem graviter vituperans Pseud. III, 2. 21 sqq.: ‚Non ego', inquit, ‚item cenam condio, ut alii coqui, Qui mihi condita prata in patinis proferunt, Boves, qui convivas faciunt, herbasque oggerunt' e. q. s.; *Donner: „Die ganze Wiesen auf die Tafel stellen, Gras den Tischgenossen bieten, als bewirteten sie Kühe".* — Boves dicuntur pro argento, quo illi emendi sunt Pers. II, 5. 15 sqq.: Sag.: ‚cave sis A cornu. To.: Quid iam? Sag.: Quia boves bini hic sunt in crumena. To.: Emitte sodes, ne enices fame: sine ire pastum. Sag.: Enim metuo ut possim reicere in bubile, ne vagentur'. Pers. II, 3. 12: nam amico homini bobus domitis mea ex crumena largiri. Cfr. As. III, 2. 43: asinos, si forte obceperint clamare hinc ex crumena. — Lora ex bovum corio facta, quibus servi vapulant, festive boves vocantur As. I, 1. 21: ‚ubi vivos homines mortui incursant boves'. Maxime admirabilis est Plauti virtus in dictionibus comicis excogitandis, quae servorum varias poenas significant. Cfr. Lorenz. praefationes ad Most. p. 47 adn., ad Pseud. p. 52 sq., ad Mil. glor. p. 60 adn. 23. Hoc loco ea exempla commemorare liceat, quibus aliqua bovum ratio praebetur: Stich. I, 2. 6: vos monimentis commonefaciam bubulis; Most. IV, 1. 26: male castigabit eos bubulis exuviis; Trin. IV, 3. 4: cave sis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent; cfr. Brix. ad h. l.; Poen. I, 1. 11: in tergo meo Tris facile corios contrivisti bubulos; Aul. IV, 1. 15: abstinebit censione bubula'. Haec omnia referenda sunt ad servos caedendos loris e bovum corio factis. — Boves stimulo fodiuntur, si nimis lente procedunt; ad hoc alludit Plautus Bacch. V, 2. 40: Phil.: ‚Cor stimulo foditur, Nic.: Pol tibi multo aequius est coxendicem'. Cor suum amoris stimulo pungi dicit. Alter respondet, potius latera eius stimulo fodi debere ut asino aut bovi segnius eunti (Ussing.) Ter. Phorm. I, 2. 28: ‚adversus stimulum calces' (sc. reicere), proverbium de eis, qui potentioribus obsistere conantur, sed non solum nihil commodi assequuntur, verum etiam magis vexantur. Cfr. Aesch. Prom. 323: πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.

— Bovis etiam est cornua obvertere eis, quos aggreditur; quare de homine dicitur Pseud. IV, 3. 5: ‚metuo ne mihi obvortat cornua', i. e. ne mihi adversetur; Klotzius comparat in lexico nostrum: *sich auf die Hinterbeine stellen.*

iuvenix proprie iuvenca, transfertur ad puellam: Mil. II, 3. 32 sq.: ‚eadem illi insidias dabo, Quam mox horsum ad stabulum iuvenix recipiat se a pabulo', i. e. puella redeat a furtivo amore in aedes militis, cuius in potestate est. Lorenzius commemorat ad h. l.: „Iuvenix *steht nur noch und zwar in eigentlicher Bedeutung bei* Persius II, 47; *die römischen Dichter erlauben sich aber bisweilen nach grieschischem Vorbilde* (ὁ *u.* ἡ μόσχος *u.* πῶλος, ἡ πόρτις *sehr oft; vergl.* Damalis Hor. od. I, 36) *die Wörter* iuvencus *u.* iuvenca = iuvenix *vom Jünglinge und Mädchen zu gebrauchen, nicht ohne Nebenbedeutung.* Hor. od. II, 8. 21; Ovid. Her. V, 117".

vitellus blande dictum As. III, 3. 77: me tuum dice esse vel vitellum e. q. s.

iumentum: Amph. I, 1. 171: Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo, i. e. sua culpa, quia ipse ad me accessit.

Multungula.

elephantus: Stich. I, 3. 14 sqq.: ‚audivi saepe hoc volgo dicier, solere elephantum gravidam perpetuos decem esse annos. Eius ex semine haec certost fames, nam iam complures annos utero haeret meo'. Cfr. Plin. h. n. VIII, 10: ‚elephantum decem annis gestare in utero vulgus existimat. Aristoteles biennio nec amplius quam singulos gignere, vivere ducenis annis et quosdam trecenis. Iuventa eorum a sexagesimo incipit'. Idem auctor hist. nat. praef. proverbium laudat: ‚Celerius elephanti pariunt', quod in eos dicitur, qui nimis lente atque segniter aliquid conficiant. — Elephantus est animal ferox et ingenti robore praeditum, verum tamen ab hominibus ita perdomatur, ut ad serviendum paratus sit. Cuius rei rationem habet Astaphium Truc. II, 2. 62—64: ‚Verum ego illum quamquam violentus est, spero immutari pote. Blandimentis, oramentis, ceteris meretriciis: Vidi equidem elephantum Indum domitum fieri atque alias beluas'. Cfr. Ovid. Trist. IV, 6. 7—8: ‚Quaeque sui monitis obtemperat

Inda magistri Bellua, servitium tempore victa subit'. — Mil. II, 2. 80: ‚elephanti corio circumtentust'; hoc proverbio indicatur homo hebetis atque indocilis ingenii. Comparatio autem non sumpta est de natura elephanti, beluae acutissimae, sed ipsa crassitudo corii tribuitur homini, qui tam hebes est, ut nihil sentiat; nos quoque tales homines vocamus „*dickfellig*".

sus cum in luto et sordibus versari soleat, symbolum est immunditiae, itaque suis translatio fit in homines, qui aut ipsi sordidi sunt aut res suas illuvie obrutas relinquunt aut ordinem necessarium neglegunt; Stich. I, 2. 7: ‚non homines habitare mecum mihi videntur, set sues'; nos similiter dicimus: „*es sieht hier aus wie in einem Schweinestalle*". — Notum porro est, sues in catulos suos parum diligentes et indulgentes esse, ita ut nonnumquam ipsi catulos proterant vel devorent. Quod per comparationem affertur Truc. II, 2. 13: ‚iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos pedibus proteram'. — Iocose dicitur proverbiali elocutione Mil. II, 6. 104: certo scio, Occisam saepe sapere plus multo suem; Rud. III, 2. 46: proripite hominem pedibus huc itidem quasi occisam suem; Epid. IV, 2. 9: ‚aliter catuli longe olent, aliter sues', proverbium quod videas sub voce catuli p. 22 sq.

aper. Pers. I, 1. 3: cum leone —, cum apro Aetolico deluctari malui quam cum Amore; vid. leo p. 24. — Cas. II, 8. 40: ‚uno in saltu lepide apros capiam duos', proverbialiter dictum pro: una in re duo commoda assequi; cfr. nostrum: *zwei Fliegen mit einer Klappe schlagen.*

aprugnus: Pers. II, 5. 4: ‚magis calleo quam aprugnum callum callet'; Poen. III, 2. 2: ‚callum aprugnum callere aeque non sinam'; hoc Poenuli et Persae loco iocatur poëta in ambiguitate verbi callendi.

verres: obscoene dicitur Mil. IV, 2. 66 sq.: ‚ni huic verri adfertur merces, Non hic suo seminio quemquam porcellam imperiturust'.

Cetacea.

Balaena pro homine avido et nefario metaphorice ponitur Rud. II, 6. 61: Quaenam balaena meum voravit vidulum, aurum atque argentum, ubi omne compactum fuit? Cfr. Arist. Vesp. 35:

Δημηγορσεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια; ib. 39: εἶθ' ἡ μιαρά φάλαιν' ἔχουσα τρυτάνην de Cleone omnia vorante.

b. Aves.

Aves, quibus aucupes insidias faciunt, haud dissimiles sunt adolescentium, quos lenones astuti meretricesque blandientes quaestus faciendi causa capiunt (cfr. piscatus). Huc spectant cum Pistocleri adolescentis verba Bacch. I, 1. 16: ‚viscus merus vostrast blanditia' et ib. V, 2, 39: Philoxeni senis decepti verba: ‚tactus sum vehementer visco', tum comparatio plena, quae invenitur As. I, 3. 63—72: ‚hic noster quaestus aucupi simillimust; **Auceps** quando concinnavit aream, offundit cibum; Aves assuescunt, necessest facere sumptum, qui quaerit lucrum. Saepe edunt, semel si sunt captae, rem solvont aucupi. Itidem hic apud nos: aedis nobis areast, auceps sum ego, Escast meretrix, lectus inlex[1]) est, amatores aves. Bene salutando consuescunt, compellando blanditer Osculando, oratione vinnula, venustula, Si papillam pertractavit, haud id est ab re aucupis; Savium si sumpsit, sumere eum licet sine retibus'. — Praeterea Plautus

---

[1]) Ex Ussingii interpretatione ‚inlices non aves sunt, quibus aucupes utuntur ad aves, quas capiant, inliciendas, id quod vulgo existimatur, non sunt eae aves, quas Graeci παλευτρίας vocant (Eubul. Παννυχίς: Φιλωδοὺς κερμάτων παλευτρίας), sed laqueus est aucupis, quo aves capiuntur'. Quae explicatio sane in hunc quidem locum quadrat, sed non in universum dici potest inlicem esse laqueum. Nam verbi inlicis originem respiciens ad aliam sententiam adducor. Derivatur enim a verbo illiciendi, cuius propria vis est *„anlocken, verlocken"* cfr. Aul. IV, 10. 7: deus me ad illam illexit; Mil. V, 42: is me in hanc illexit fraudem; Bacch. I, 1. 21: magis inlectum tuum quam lectum metuo'. — Inlex igitur est res aut homo, qui aliquem inlicit in aliquid vel ad aliquid faciendum; id quod luculenter apparet ex his exemplis: Pers. III, 3. 4, ubi leno per convicium inlex (*Verlocker, Verführer*) appellatur, Pers. III, 4. 35, ubi advocati se ipsos ‚malae rei tantae inlices' vocant, ib. IV, 4. 48: ‚me impulsore aut inlice'. Nostro autem loco (As. I, 3. 68), ubi de aucupio res est, inlex aut avem παλεύτριαν, quae ceteras allicit, aut laqueum, quo aves propter escam impositam alliciuntur, significat. Quare id quod Nonius p. 6 et Ussingius commemorant, illicere idem esse ac laqueare, non idoneum est ad omnes locos Plautinos, ubi haec vox obviam fit, recte explicandos.

sermonem arcanum hominis, qui ne audiatur metuit, cum ave comparat, cui ab aucupe periculum imminet: Mil. IV, 1. 9: circumspice dum, ne quis nostro hic auceps sermoni siet; Most. II, 2. 42: circumspice dum, num quis est, sermonem nostrum qui aucupet. — Similiter is, qui oculis et auribus alicuius diligenter observatur, quasi avis est, quem auceps capere studet Mil. IV, 1. 43: viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus? Mil. IV, 2. 5: qui aucupet me quid agam; As. V, 2. 31: aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant; Rud. IV, 4. 49: viden, scelestus ut aucupatur; Men. IV, 1. 12: ex insidiis aucupa; Truc. V, 72: lepide mecastor aucupari; cfr. Ter. Eun. II, 2. 16: hoc novumst aucupium. — Capiuntur autem aves plerumque transennis; ita Dordalus leno ut avis in transennam illicitur Pers IV, 3. 11: ‚hunc hominem ego hodie in transennam doctis inducam dolis'; similiter Rud. IV, 7. 9 sqq.: ‚O Gripe, Gripe, in aetate hominum plurumae Fiunt transennae, ubi decipiuntur dolis. Atque edepol in eas plerumque esca imponitur, Quam si quis avidus poscit escam avariter Decipitur in transenna avaritia sua'. Ceterum cum pisces quoque transennis capiantur, hi loci non solum de aucupio (cfr. Bacch. IV, 6, 22: nunc ab transenna turdus petit lumbricum) sed etiam de piscatu intellegi possunt, id quod maxime de loco illo ex Rudente (IV, 7. 9 sqq.) petito coniecerim, quia Gripus ipse piscator est et Graecum γρῖπος sive γριπός rete piscatoris vel piscatum significat. Ut transenna ita etiam verbum **inescandi** et ad pisces et ad aves alliciendos usurpatur, id quod metaphorice offendit Ter. Ad. II, 2. 12: ‚nescis inescare homines'.

Avis imago celeritatis magnae quasi proverbialiter memoratur Bacch. II, 3, 57: ‚neque aves neque venti citius'. — Aliae comparationes obviam fiunt Capt. I, 2. 7 sq.: ‚liber captivos avis ferae consimilis est: Semel fugiundi si datast occasio, Satis est; post illam nunquam possis prendere. Cfr. ib. I, 2. 14: Avis me ferae consimilem faciam, ut praedicas; Rud. III, 6. 51: ‚in nervum ille hodie nidamenta congeret' i. e. ut aves paleas tomentum aliaque ad nidos construendos congerunt, ita leno, de quo agitur, tales res committit, ex quibus tempore brevi nervus i. e. carcer, nascetur. Cfr. Turneb. Adv. 26, 2; Poen. V, 2. 15: ‚Sed quaenam illaec avis est, quae huc cum tunicis — circumductus advenit'? Pertinet haec interrogatio ad Poenum

peregrino habitu indutum. — His locis addo dictionem proverbialem Men. V, 5. 20: ‚soleamne esse avis squamossas, piscis pennatos'?, qua res ineptissima et insana indicatur.

Haud raro etiam partes corporis avium aliaque, quae avibus propria sunt, ad homines transferuntur.

rostrum. Men. I, 1. 13: apud mensam plenam homoni rostrum (i. e os) deliges.

ala. Poen. IV, 2. 49: ‚meae alae pennas non habent', i. e. facultas aliquid conandi mihi deest. (Cfr. sub penna: tu sine pennis vola); Bacch. I, 1. 169 sq.: ego homo infelix fui, Qui non alas intervelli sc. voci). Ussingius: ‚Sosia' inquit, ‚servili modo ex similitudine orationis facetias quaerit vocique, quae ad latronem aufugerit, quasi altilibus volucribus se alas intervellere debuisse dicit'. Non bene addit vir doctissimus: 'quasi altilibus volucribus'; nam non solum avibus, quae saginandae ab hominibus aluntur, alae intervelluntur, sed etiam feris avibus pretiosis maximeque eis, quae insigni volandi facultate praeditae sunt, ita ut occasione fugiendi data iterum ab hominibus non prehendantur. Talis avis similis est vox, quae semel ex ore emissa nullo modo retrahi potest; imago autem minime elegans existeret, si quis vocem ‚altili volucri' comparare vellet. — Pers. II, 5. 6: ‚subnixis alis me inferam' i. e. sicut aquila in praedam, vehementer et celeriter.

penna occurrit in proverbio: As. I, 1. 93: ‚tu sine pennis vola' et Poen. IV, 2. 49: ‚sine pennis volare hau facile est: meae alae pennas non habent'. Cfr. ala. Simili imagine nos utimur: *„er will fliegen, ehe ihm die Federn gewachsen sind"*. Cfr. Meineke fr. com. Graec. IV, p. 646 (167): ἀπτῆνα, τυτθόν, ἄρτι γυμνὸν ὀστράκων: Videtur comici versus esse de homine, qui immaturus et praeter aetatem ad rem publicam accesserat velut de Hyperbolo (Mein).

pluma. Poen. III, 6. 17: levior pluma *(„federleicht")* est gratia; Most. II, 1. 60: ‚pluma haud interest' i. e. aequi bonique faciunt.

plumeus: Bacch. III, 4. 15: ‚ramenta fiat plumea propensior' i. e. quidquid abrasum est plumae, levissimum quidem, quod cogitari potest.

pipulum: Aul. III, 2. 32: ‚te iam pipulo hic differam'. Ex-

plicationem praebet ad hunc locum Varro L. L. VII, 103: ,id est ,convicio' declinatum a pipatu pullorum. Multa ab animalium vocibus translata in homines, partim quae sunt aperta partim obscura'. Mil. II, 6. 101: ,nunc satis pipulo improbo merui mali'. Cfr. Lorenzii et Brixii adnotationes ad hunc locum.

friguttire est proprie fringillarum aliarumque avium minorum; ad homines translatum significat: murmurare vel minus clara voce loqui: Cas. II, 3. 49: quid friguttis?

volare de quoque celeri motu adhibetur. Pers. II, 2. 17: vola curriculo; Pseud. III, 2. 52: odos — in caelum volat; Trin. III, 2. 42: nil sic celerest neque volat. Cfr. Poen. IV, 2. 49 sub penna p. 38.

volucris: Poen. IV, 2. 51: vid. p. 31 s. f.; Amph. I, 1. 170: volucrem vocem gestito; cfr. Homeri ἔπεα πτερόεντα. Arist. Av. 1714: πτεροφόρον Διὸς βέλος. ib. 576: πτερόεντα κεραυνόν. Pacuv. fragm. XXXVII, (33): volucri currit axe quadriga; Enn. VIII, (8): rapit ex alto navis velivolas.

convolare: Ter. Hec. prol. 32: populus convolat. **advolare**: Amph. I, 1. 169: vox mi ad auris advolavit; Rud. II, 3. 3: quia ad auris vox mihi advolavit; Merc. V, 2. 23: vox ad aurem mihi advolavit. **devolare**: Amph. V, 1. 56: devolant angues; **evolare**: Cist. IV, 2. 65: cistella mihi hic evolavit; **involare**: Mil. V, 1. 7: in hominem involo; Amph. I, 1. 90: cum clamore involant impetu alacri; Most. I, 3. 46: involem illi in oculos; Ter. Eun. IV, 3. 6: Ut ego unguibus facile illi oculos involem; ib. V, 2. 20: Vix contineo, quin involem monstro in capillum. **travolare**: Epid. I, 1. 33: travolaverunt ad hostes.

Raptatores.

Ut ferae quadrupedes rapaces, ita etiam aves raptatores ad homines avidos et ,lucricupidos' (Trin. I, 2. 63) designandos usurpantur.

volturius, convicium proverbiale hominis edacis aut avidi alicuius rei. Capt. IV, 2. 64: me, volturi („*Nimmersatt*" Brix.), tuan' causa aedis incensurum censes? Trin. I, 2. 64: Tum autem sunt alii qui te volturium vocant. — Festive servus callidus se ipsum cornicem, senes duos avaros, quos decipit, volturios vocat Most. III, 2. 146—152: Tr.: Vide ubi ludificatur una cornix

volturios duos. Theur.: Non edepol video. Tr. At ego video eam inter volturios duos: Cornix astat: ea volturios duos vicissim vellicat e. q. s. Cfr. Ael. Nat. anim. XV, 22: ταῖς κορώναις ἔργον τοὺς ἀετοὺς ἐφεσχελεῖν. *C. S. Köhler (das Tierleben im Sprichwort der Griechen und Römer)* hoc proverbium ortum esse dicit inde quod cornices invidas esse narrent, quod aquilae altius volare possint. (Cfr. etiam Lorenz. ad. h. l.) vide Arist. Equ. 1051 sq.: φθονεραὶ γὰρ ἐπικρώζουσι κορῶναι. Ἀλλ' ἱέρακα φίλει — ὥς σοι ἤγαγε (sc. χλέων) συνδήσας Λακεδαιμονίων κορακίνους. Nos proverbialiter dicimus: *„die Krähe will mit dem Adler streiten" Wander: deutsch. Sprichw. Lex. II, p.* 1568). — Vultures vel triduum volant, ut narrat Plin. Hist. nat. X, 6 ad eum locum, ubi cadavera famem eorum expletura iacent. Similis natura mulieri tribuitur, quae amatori praestolatur Truc. II, 3. 16: ‚vide ut iam quasi volturii triduo Prius praedivinant, quid comessuri sient'. — Volturius animal detestabile habebatur, quod apparet ex Mil. IV, 2. 53: nam volturio plus humani credost. — Singularis translatio verbi volturii extat Curc. II, 3. 78: ‚iacit volturios quattuor'. Ex sententiarum connexu apparet his verbis iactum pessimum indicari, qui plerumque canis vocatur; quia, qui canem iecit, quod posuit, perdidit, hos talos Curculio volturios appellat i. e. rapaces.

subvolturius: Rud. II, 4. 9: ‚eia, corpus quoiusmodi! Subvolturiumst illut quidem subaquilum volui dicere'. Sceparnio servus laudare videtur animi alacritatem aut corporis habitum gracilem, cum comparet Ampeliscam cum vulture; non ad colorem referenda est similitudo, id quod nonnulli voluerunt. Corrigit autem sua verba servus, quia aquilae vulturibus sunt generosiores. Similiter adhibetur **aquilus**: Poen. V, 2. 151: Statura hau magna, corpore aquilo. **subaquilus**: vid. subvolturius; **aquilinus**: Pseud. III, 2. 62 sq.: ‚An tu invenire postulas quemquam coquom Nisi milvinis aut aquilinis ungulis'? i. e. coquum rapacem sive furem. In proverbii consuetudinem transiit aquilae senectus, cuius mentio fit apud Terentium Haut. III, 2. 9 sq.: visa verost quod dici solet Aquilae senectus. Cfr. Zenob. in Paroem. ed. Schneid. et Leutsch I, p. 52: ἀετοῦ γῆρας κορύδου νεότης: παρόσον καὶ γηράσκων ἀετὸς ἀμείνων ἐστὶ παντὸς νεάζοντος ὄρνιθος. Cfr. Plin. H. n. X, 4. 14.

milvus aeque atque vultur ad hominem rapacem transfertur Poen. V, 5. 13: male ego metuo, milvos ne auferat pullum tuum; Aul. II, 4. 37—40: Pulmentum pridem ei eripuit milvus, homo ad praetorem deplorabundus venit: infit ibi postulare —, ut sibi liceret milvum vadarier, i. e. in ius vocare; Rud. IV, 4. 80: vidi petere milvum, etiam quum nihil auferret tamen; Ter. Phorm. II, 2. 16: quia non rete accipitri tennitur neque milvo, Qui male faciunt nobis, illis, qui nihil faciunt, tennitur. — **Milvinus** vide aquilinus p. 40; ad rapacem et voracem milvi naturam spectat etiam Men. I, 3. 29: ‚Madida, quae mi adposita in mensa milvinam suggerant'; milvinam sc. famem; nos dicimus: „*Wolfshunger*". Ceterum Ritschelius adductus lectione codicis A, qui praebet mulvinam scripsit ‚bulimam' pro ‚milvinam', respiciens ad gloss. ap. Paul. Fest. p. 32: ‚Bulimam Graeci magnam famem dicunt'. Quod ad sententiam attinet, ambae scripturae idem valent, sed utra sit verisimilior et magis accedens ad Plauti rationem dicendi, vix satis certis argumentis disceptari potest.

accipiter ignominiose dictum de homine rapaci et avido Pers. III, 3. 5: pecuniae accipiter avide atque invide, Procax, rapax, trahax. Cfr. Ter. Phorm. II, 2. 16: Quia non rete accipitri tennitur e. q. s. vide: milvus. Aristoph. Equ. 1052 comparat Cleonem cum accipitre (ἱέραξ), qui rapit cornicum (Lacedaemoniorum) pullos. — Bacch. II, 3. 41: ‚**accipitrina** haec nunc erit'; confertur hospes avarus cum accipitre.

striges aves nocturnae et maleficae, quas infantes rapere eorumque visceribus vesci narratur. Ov. Fast. VI, 131—140 et Petron. 63, 134. Itaque condimenta mala, quae visceribus dolores excitant, striges vocantur Pseud. III, 2. 31: quum condiunt, non condimentis condiunt sed strigibus.

noctua iocose in medium profertur Men. IV, 2. 90: ubi matrona et Peniculus parasitus Menaechmum I. de compluribus delictis obiurgant. Menaechmus, qui nullius peccati sibi conscius est, miratus cuique crimini respondet interrogatione: ‚egone' vel ‚egone dedi'? etc., tum Peniculus: ‚tu! istic inquam'; sed cum ille pergat interrogans: ‚egone'? parasitus impatiens morae: ‚tu tu istic inquam; vin' afferi noctuam, Quae tutu usque dicat tibi? nam nos iam defessi sumus'. In fragmento aliquo e Sidonio grammatico de vocibus animalium in gloss. superstite

legitur: ‚noctua tutubat'; cfr. Ausonii versum: ‚Cecropiis ignota sonis ferale sonans u'. Nos illam avem de voce appellamus „*Uhu*".

noctuinus: Curc. I. 3. 35: ‚tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas?'; oculi fortasse propter magnitudinem per convicium nominantur ‚noctuini', nos diceremus *Glotzaugen*. Aliter adhibetur ob Homero epitheton illud Minervae saepissime tributum: γλαυκῶπις.

Clamatores.

upupa: Capt. V. 4. 5—7: ‚nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae Aut anites aut coturnices dantur, quicum lusitent: Itidem haec advenienti mi upupa qui me delectem datast'. Ironice Tyndarus upupam quasi crepundia liberorum commemorat, intellegenda est ascia, qua lapides effodiendi sunt in lapicidinis.

Passeres vel Oscines.

Lusciniola. Bacch. I, 1. 4: ‚metuo lusciniolae ne defuerit cantio', proverbium, quo indicatur, lusciniae prius deese cantum quam mulieri orationem.

hirundo; blande dictum As. III, 3. 104: dice igitur me anaticulam — hirundinem etc. Rud. III, 4. 66: ‚haec illa est simia, quae has hirundines (i. e. puellas) ex nido volt eripere'. Vid. p. 17 adn.

monedula: blande dictum As. III, 3. 104: dice igitur me — hirundinem, monedulam etc.

cornix, servus callidus se ipsum vocat cornicem Most. III, 2. 146 sqq. Vid. volturius p. 40.

passer, blande dictum: Cas. I, 50: meus pullus passer.

passerculum: blande dictum: As. III, 3. 104: dice igitur me anaticulam — passerculum; As. III, 3. 76: dice igitur me tuum passerculum.

Scansores.

cuculus homo stultus nominatur Pseud. I, 1. 94: ‚quid fles, cucule'? Pers. II, 4. 11: ‚tua quidem, cucule, causa non hercle metuam'. Trin. II, 1. 19: ‚ibi ille cuculus'. Nos diceremus: *Gimpel*. Sed etiam homines, qui minus honeste se gerebant,

cuculi appellabantur, quia cuculus aliarum avium nidos frequentat ibique ova sua ponit. Cfr. Arist. Hist. anim. VI, 72. Hor. sat. I, 7. 31. Exempla translata inveniuntur As. V, 2. 84: cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit; As. V, 2. 73: At etiam cubat cuculus: surge amator. Cfr. Arist. Ach. 598: Δαμ. ἐχειροτόνησαν γάρ με — Δικ.: κόκκυγές γε τρεῖς. Cfr. Plat. com. ap. Athen. II, p. 68 C.

alcedo, qualis avis fuerit, nostri animantium descriptores adhuc non exploraverunt, quamquam apud veteres saepissime commemoratur; sed cum alcedo plerumque vertatur per nostrum, „*Eisvogel*", hanc avem hic collocare non dubitavi. Dicitur autem mare, cum alcedo ovis incubat, plane tranquillum esse. Ad hoc pertinent, quae leguntur Poen. I, 2. 143 sq.: Iam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, quam mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit'. Illi dies, quibus alcedo ovis incubat vel, ut nostro loco dicitur, ‚cum pullos educit suos', vocabantur Alcyonei sive Alcedonia sc. tempora. Cas. prol. 26: ‚Alcedonia sunt circa forum' i. e. forum tam tranquillum et negotiis vacuum est, quam isto tempore mare. Idem significat Arist. Av. 1594: Ἀλκυονίδας ἡμέρας. Cfr. Cic. de fin. I, 15; Ov. Metam. XI, 742 sqq. Aristot. Hist. anim. IX, 14. Plin. Hist. nat. X, 32. Aes. fab. 29 ed. Halm. Arist. Aves ed. Kock., adn. ad v. 251.

picus a Plauto quasi avis fabulosa ut Graecum γρύψ affertur Aul. IV, 8. 1: ‚Pici divitiis, qui aureos montes colunt, Ego solus supero'; cfr. Nonius p. 152; Herodotus IV, 13 Aristeam Proconnesium auctorem affert de Rhipaeis montibus aurum ferentibus sed aditu difficillimis propter grypes aurum custodientes, quibus ea de causa cum Arimaspis vicinis continuum bellum esset.

Columbae.

columbus. Rud. III, 6. 49 sqq.: ‚Credo alium in aliam beluam hominem vortier. Illic in columbum, credo, leno vortitur, Nam in columbari collum hau multo post erit. In nervom ille hodie nidamenta congeret'. Ludit Plautus verbis columbus, columbar, collum; de loci sententia vide p. 37 s. f.

columba: blande dictum Cas. I, 50: meus pullus passer, mea columba e. q. s. As. III, 3. 103: dice igitur me anaticulam,

columbam e. q. s. — As. I, 3. 57: ‚Ubi quid dederam quasi columbae pulli in ore ambae meo usque eratis'; i. e. ut pulli columbini ori matris cibum afferentis inhiant, sic vos olim mihi, si quid dederam. Minus placet mihi id, quod Ussingius explicandi causa citat: ‚nota est columbarum in osculando improbitas et lascivia ait Lambinus coll. Catull. LXVIII, 125 sqq.' etc.

turtur: Poen. II, 40: eum necabam — Per cerebrum pinna sua sibi quasi turturem; Bacch. I, 1. 34: ‚ubi ego capiam pro machaera turturem'; turtur cum h. l. cibus vix intellegi possit, avis viva interpretibus videtur esse, quacum meretrices et amatores ludere soliti sint; ego putaverim turturem translate dictum esse pro meretrice. Cfr. columba.

palumbes. Bacch. I, 1. 17: ‚duae me unum expetitis palumbem', proverbium, quo palumbes ponitur pro amatore; Poen. III, 3. 63: ‚nos tibi palumbem ad aream usque adduximus', hoc proverbio significatur: occasionem aliquid facillime exequendi alicui offerre. Klotzius in Lexico confert nostrum: *„es fliegt dir eine gebratene Taube ins Maul".*

Gallinae.

gallina, blande dictum As. III, 3. 76: dice igitur me passerculum, gallinam etc. Ad inconditas incompositasque litteras pertinet quod legitur Pseud. I, 1. 27 sq.: an obsecro hercle, habent quoque gallinae manus? Nam hasce (sc. litteras) quidem gallina scripsit. Cfr. nostrum: *es ist, als wenn die Hühner auf dem Papier gescharrt hätten. (Wander: II, p.* 808*)*.

coturnix blande dictum. As. III, 3. 76: dice igitur me passerculum — coturnicem' etc.

Cursores.

marinus passer sive struthio ita volare solet, ut a terra se non tollat, sed alis passis currat. Quare cum Toxilus Pers. II, 2. 19 sq. iussisset: ‚face rem hanc cum cura geras. Vola curriculo'! Paegnium respondet: ‚Istuc marinus passer per circum solet'.

Natatores.

anser. Truc. II, 1. 40 sq.: Qui ubi quamque nostrum prope videt hasce aedis adgrediri, Item ut de frumento anseres clamore absterret, abigit.

anaticula, blande dictum. As. III, 3. 103: dice igitur me anaticulam etc.

anatinus. Anates quamvis diu in aqua sint, arent tamen nec algent. Itaque Rud. II, 6. 49 sq.: Utinam fortunam nunc ego anatinam uterer, Uti, quom exivissem ex aqua, arerem tamen.

His avibus addendae sunt

Aves mythicae.

Picus pro Graeco γρύψ vide supra p. 43.

spinturnicium, avis deformis et inauspicata fuisse dicitur, ut tradit Festus 330 b sq.: ‚spinturnix est avis genus turpis figurae: occursatrix artificum, perdita spinturnix'. Quae avis Graece vocatur, ut ait Santra, σπινθαρίς (cfr. Plin. H. n. X, 36), apud Plautum occurrit ad deformem speciem significandam adhibita Mil. IV, 1. 42: πιθήκιον haec est prae illa et spinturnicium.

aves Stymphalicae ex Herculis laboribus notae commemorantur Pers. I, 1. 4: cum avibus Stymphalicis — deluctari malui quam cum Amore.

c. Amphibia.

Ad haec animalia, quae aut pedibus carent aut admodum breves pedes habent, **rependi** verbum eiusque composita referenda sunt, quae modo ad homines modo ad res clanculum vel tarde procedentes transferuntur. Cas. I, 10: quid in urbe **reptas**, villice?; Amph. IV, 1. 3: omnis plateas **pereptavi**; cfr. Menand. fab. inc. frg. CXXXIII: νῦν δ' ἕρπ' ἀπ' οἴκων. Pseud. II, 3. 20: ut mors **obrepat** interim; Poen. prol. 14: te obrepet fames; Trin. I, 2. 22: ‚namque enim tu, credo, me imprudentem obrepseris', i. e. deceperis; eodem sensu usurpatur hoc verbum Trin. IV, 2. 132: argute me obrepsisti in eapse occasiuncula. — Ad vocem, quam **serpentes** edere solent spectat **sibilandi** verbum, quod dicitur de hominibus pro ‚murmurare' vel ‚susurrare'. Merc. II, 3. 72: ‚quando incedat per vias (sc. ancilla), contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent'. — Serpens cum nomen ducat a serpendo appellatur etiam **proserpens bestia** Stich. V, 4. 42: suffla celeriter tibi buccas quasi proserpens bestia; Pers. II. 4. 28: ‚tamquam proserpens bestia est bilinguis et scelestus'. Angues bisulcas linguas habere notum

est, homines autem **bilingues** vocantur ei, qui ambiguis verbis utuntur, ut alios fallant et in errorem inducant. Ita etiam Poen. V, 2. 74: Bisulcilinguis, quasi proserpens bestia; Truc. IV, 3. 7 sq.: Quamquam vos colubrino ingenio ambae estis, edico prius: Ne duplices habeatis linguas, ne ego **bilinguis** vos necem, Nisi e. q. s. — Aliter accipienda sunt verba ad bilinguitatem serpentium pertinentia, quae occurrunt As. III, 3. 105: ‚face proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam', i. e. osculans tuam linguam iunge cum mea, ita ut quasi serpens bilinguis sim; ad sententiam cfr. Pseud. V, 1. 14 sq.: ‚ubi ad labra labella adiungit, Ubi alter alterum bilingui manufesto inter se prendunt', bilingui i. e. osculo; cfr. Arist. Thesm. 132: μανδαλωτῷ; id. Ach. 1201. — Anguis etiam est pellem mutare vel vertere; quare huc spectat vox **vorsipellis**, quae dicitur de homine callido et versuto. Bacch. IV, 4. 42: ‚vorsipellem esse hominem convenit, pectus quoi sapit'. Proprio tamen sensu usurpatur vorsipellis de Iove in alius viri formam se vertente Amph. prol. 123: ‚ita vorsipellem se facit'.

testudineus. Aul. I, 1. 10: ‚testudineum istum tibi ego grandibo gradum', i. e. te testudinis more tarde gradientem ad properandum incitabo.

anguis, animal propter morsum venenatum summo hominum odio dignum; quocum Lysimachi senis uxor comparatur Merc. IV, 4. 21: nempe uxor ruri est tua, quam dudum dixeras te odisse aeque atque angueis. (Cfr. Hor. epist. I, 17. 30: cane peius et angue). — Ut vox anguis, ita etiam

excetra ad mulierem malam indicandam profertur Cas. III, 5. 19: excetra tu; et Pseud. I, 2. 82. — Praeterea cum excetra in numero earum bestiarum sit, quibuscum pugna periculosa est, amor cum ea comparatur Pers. I, 1. 3: ‚Nam cum leone, cum excetra . . . . deluctari malui, quam cum Amore'; h. l. excetra intellegenda est hydra Lernaea, quam Hercules vicisse traditur, vid. p. 24.

colubra semel apud Plautum invenitur Stich. II, 1. 50: ‚quas tu vides colubras'? id quod proverbialiter de homine mente capto dictum est, qui a furiis agitari videtur. **Colubrinum** ingenium est astutum, dolosum, fallax: Truc. IV, 36; ‚vos colubrino ingenio ambae estis', sqq.

d. Pisces.

piscis. As. I, 3. 26: ‚quasi piscis itidem est amator lenae', tertium comparationis Plautus ipse addit: ‚nequamst nisi recens'. Altero loco Diniarchum impatienter adventum lavantis Phronesii expectantem comice dicentem facit Truc. II, 3. 1: piscis ego credo, qui usque dum vivont lavant, minus diu lavare, quam haec lavat Phronesium. — Piscis est symbolum stultitiae, cum fraudem, qua capitur, non sentiat. De hominibus igitur, qui plane decipiuntur, quasi de piscibus dicitur Curc. III, 61: meus hic est, hamum vorat; Most. V, 1. 22: Non ego illi extemplo hamum ostendam: sensim mittam lineam; Truc. I, 1. 21: interim ille hamum vorat; Mil. II, 6. 98: ‚nunquam hercle ex ista nassa ego (sc. quasi piscis) hodie escam petam'. Cfr. Cic. ad Att. XV, 20. 2: ‚ex hac nassa exire constitui'; id. de senect. XIII, §. 44: ‚divine enim Plato escam malorum appellat voluptatem (Timaeus p. 69 D), quod ea videlicet homines capiantur ut pisces'. — Meretricum quaestus, quem aucupio simillimum esse alio loco (As. I, 3. 63—72. p. 36) demonstratum est, cum piscatu comparatur Bacch. I, 1. 69: quia piscatus meo quidem animo hic tibi hodie evenit bonus. — Proverbii loco stat, quod obviam fit As. I, 1. 86 sq.: ‚iubeas una opera me piscari in aere, venari autem reticulo in medio mari', i. e. res, quae effici non possunt vel vanae sunt. — **Expiscari** pro scrutari extat apud Terentium Phorm. II, 3. 35.

muraena. Amph. I, 1. 163: ‚hic me quasi muraenam exossare cogitat': exossare proprie de spinis piscium eximendis dicitur, hoc loco eandem fere sententiam praebet, quae inest in Horatiano (sat. I, 5. 23): ‚fuste dolare'. Pseud. I, 3. 148: ‚exossabo ego illum similiter itidem ut muraenam coquos'.

anguilla, piscis lubricus et facile manibus elabens transfertur ‚in hominem in disputando incomprehensibilem et lubricum' (Plin. Epist. I, 20) Pseud. II, 4. 57: ‚anguillast, elabitur'. Nos: *er ist glatt wie ein Aal.* Λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς: Aristoph. frag. ap. Athen. VII, p. 299.

maena piscis vilis, qui degluptus et salsus hominibus pauperibus cibo erat, convicio datur Poen. V, 5. 33: deglupta maena.

lingulaca; hoc genus piscium (Varro L. L. V, 77 M) ponitur pro muliere loquaci Cas. II, 8. 62: vin' lingulacas? St.: quid opus est, quando uxor domi est? Ea lingulaca est nobis.

mullus, piscis pretiosissimus translate memoratur Mil. IV, 2. 15: ,nam haec lacerta mullo apsente me adigit, se ut amem'. (sic Ritschelius scripsit). Attamen hic versus corrupte traditus est; legitur enim a Bugge (Philol. XXX, p. 650) pro ,lacerta mullo': ,celocula illa', a Lorenz: ,locusta mullo' aliorumque editorum coniecturae adeo inter se differunt, ut lectio certa minime sit. Fortasse, siquidem sensum respicimus: ,nam haec ancillula illa apsente' e. q. s. legendum est.

e. Insecta.

curculio, vermiculus, qui triticum depopulatur. Quid mirum, quod Plautus nomen huius insecti in parasitum, cuius edacitas hominibus molestissima erat, transtulit in comoedia illa, quae Curculio inscribitur. Koenig (de nominibus propr. ap. Plaut. et Ter.) §. 7, p. 19 eis assentitur, qui ,Curculio' (Gurgulio) voce: *„Gurgelmensch"* vertunt; quod num recte explicatum sit, dubito. Respiciamus enim ad Curc. IV, 4. 30 sq.: ,ubi nunc Curculionem inveniam? Ca.: In tritico facillime vel quingentos curculiones pro uno faxo reperies' — facile cognoscemus Plautum in nomine parasiti eligendo rationem habuisse curculionis; quare me iudice ,Curculio' vertendum est per *Kornwurm*. Ceterum Koenig in animo habuisse videtur Trin. IV, 3. 9, quo loco ante Ritschelium legebatur: ,curculiost exercitor, is hunc hominem cursuram docet'; id quod editores interpretabantur: ,hic homo repit, non currit; movet se, sed nihil promovet'. Ritschelius autem lectionem codicis B secutus scripsit: ,Gurguliost' etc., i. e. gurgulio eum hanc cursuram docet vel: ut ebrius currit. Sed verba, quae sunt curculio et gurgulio, ratione et scribendi et pronuntiandi tantulum inter se diversa sunt, ut discrimen constitui vix possit, quin etiam forma ,curculio' antiquior luculentioribus testibus nisa sit'. (Koenig §. 7, p. 19; Corssen: de consonantibus in Curculio' et ,Gurgulio' I, p. 77). Quare ,gurguliost' non inconsulto a Plauto scriptum esse videtur, ut in verbis ambiguitas quaedam existeret. Nam qui verba

illa audivit, cogitare potuit et: ‚ebrius est, imitatur cursuram curculionis' et: gurgulio vino plurimo impletus eum docuit ebrii ritu currere i. e. titubare.

curculiunculus Rud. V, 2. 38: ‚curculiunculos minutos fabulare' proverbium olet et idem fere valet atque: res nullius usus narras.

formica. Trin. II, 4. 8 sq.: ‚(pecunia) non hercle minus divorse distrahitur cito, Quam si tu obicias formicis papaverem'; Curc. IV, 4. 20: iam ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant, i. e. in tam parva frusta te concidam, quae ipsae formicae in diversa avehere possint.

formicinus: Men. V, 3. 12: ‚move formicinum gradum'; medicus propter tarditatem a sene increpatur. Cfr. Aul. I, 1. 10, p. 46 s. v.: testudineus.

crabro, genus magnum vesparum, memoratur in proverbio Amph. II, 2. 75: ‚inritabis crabrones'; nos: *ins Wespennest stören.* Cfr. Arist. Lys. 475: ἤν μήτις ὥσπερ σφηκιὰν βλίττῃ με κἀρεθίζῃ. Vesp. 223 sq.: τὸ γένος ἤντις ὀργίσῃ τὸ τῶν γερόντων ἔσθ' ὅμοιον σφηκιᾷ. Proverbium dictum est de eis, qui, ubi potentiores irritaverunt, eo magis detrimentum capiunt.

involvulus significat erucam seu vermem, qui pampini folio se implicat; reperitur autem apud Plautum in eleganti comparatione Cist. IV, 2. 63 sq.: imitatur nequam bestiam et damnificam. Ph.: Quamnam amabo? La.: Involvulum, quae in pampini folio intorta inplicat se: Itidem haec exorditur sibi intortam orationem.

campa, idem quod Graecum κάμπη, eruca, bestiola vilissima est. Quare Truc. V, 1. 50: ‚campas dicit' ab editoribus explicatur verbo: nugari. Locum autem perditum sine dubio recte sanavit Fr. Schoell, qui pro ‚campas dicit ab avi' posuit: ‚Campans icit lingua', conferens similem Campanorum irrisionem: Trin. v. 545.

culex, bestiola molestissima et odiosa. Comparantur cum ea homines incommodi et invisi, ut lenones Curc. IV, 2. 14: ‚item genus est lenonium inter homines meo quidem animo, Ut muscae, culices, cimices, pedesque pulicesque; Odio et malo et molestiae, bono usui estis nulli', cfr. similem bestiolarum conventum Liv. Andr. frg. (Ribbeck: com. Rom. frg. I, p. 3):

‚pulicesque an cimices an pedes'? — Cas. II, 3. 22 amator molestus appellatur, nihili cana culex'.

tippula, ex Festi explicatione: ‚bestiolae genus, sex pedes habentis sed tantae levitatis, ut super aquam currens non desidat', gravior est fide lenonia. Pers. II, 2. 61 sq.: omnes sunt lenae perfidae, Neque tippulai levius pondust quam fides lenonia.

pulex vid. p. 49: culex.

musca, imago curiositatis, quia omnes hominum res frequentat, Merc. II, 3. 26: ‚muscast meus pater, nil potest clam illum haberi'. Muscarum importunitatem similem esse lenonum (Curc. IV, 2, 14) iam vidimus p. 49: culex; sed etiam parasiti huc pertinent Poen. III, 3. 76: ‚te quaeritare a muscis' (sc. liberum hospitium); cfr. imaginem, qua utitur Antiphanes f. inc. 3, 134 (5 et 6): ἀεὶ θ'ὥσπερεὶ 'Ολυμπίασί φασι ταῖς μυίαις ποιεῖν βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προκατακόπτειν πανταχοῦ. — Locus dubius, sed quem Fr. Schoell probabili ratione restituit, extat Truc. I, 1. 43 sqq.: Nam nunc lenonum et scortorum plus est fere Quam olim muscarum est, quom caletur maxume. Nam si nusquam alibi sunt, circum argentarias Scorta et lenones, qui sedent cotidie, Ea nimia est ratio e. q. s. Cfr. Il. II, 469.

locusta; cum hoc animali, palpebris carente durissimosque oculos habente (Plin. H. n. XI, 37. 55; IX, 95; Petron. 35. 4), Menaechmus confertur Men. V, 5. 25: ‚tu me lucustam censes esse'? Interrogat autem Menaechmus propter medici verba: ‚solent tibi unquam oculi duri fieri'?, id quod indicium insaniae esse putabatur.

pedis vid. culex p. 49.

cimex vid. culex p. 49.

f. Arachnoidea.

nepa, plerumque scorpio, cancri autem loco stat Cas. II, 8. 7: recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. (Cfr. Pseud. IV, 1. 45; infra).

g. Crustacea.

cancer. Pseud. IV, 1. 45: ‚ut transvorsus, non provorsus cedit quasi cancer'. Cfr. Arist. Pax 1083: οὔποτε ποιήσεις τὸν κάρκινον ὀρθὰ βαδίζειν. Καρκινίτης in Arist. Vesp. 1505.

h. Vermes.

Vermis plerumque ab hominibus habetur animal humillimum et vilissimum, quod omnes neglegunt aut cum fastidio abiciunt. Translate igitur adhibetur vermis pro re nullius pretii, talis metaphora implicite indicatur Aul. V, 10, ubi haec leguntur: Lyc.: ‚quid repperisti'? Strob.: ‚non quod pueri clamitant in faba se reperisse'. Quae quomodo sint intellegenda, Lambinus docet, cum Strobili responsum hac ratione circumscribit: ‚ne existimes rem nihili, puta vermiculum, quem ‚midam' vocant, me repperisse, sed quidquam pretiosum'. Verum hanc explicationem quamquam posteriores interpretes repetiverunt vix rectam esse censet Ussingius: ‚Nec enim', inquit, ‚pueri in fabis vermes aut quaerunt aut inventis exsultant gaudio, immo horrent et abiciunt. Aliud fuerit necesse est. Quodsi suspicionem proferre licet nullo antiquitatis testimonio nixam, ut nostri pueri in fabarum et cicerum siliquis aperiendis si novem fabas aut ciccrculas eadem siliqua inclusas inveniunt, ita antiquis crediderim eundem numerum felicem visum fuisse eosque simili invento gavisos'. Quae verborum interpretatio non solum parum verisimilis videtur esse, sed etiam, quantum equidem intellego, ipsi sententiae, quam desideramus, plane repugnat. Nam si loco eorum verborum, quae sunt: ‚quod pueri clamitant' e. q. s., id poneremus quod Ussingius exposuit, Strobilus haec fere diceret: non novem fabas, i. e. non repperi, quo quasi certo oblato felicitatis omine laetarer, sed quod horrerem. Hoc autem contrarium est sequentibus (v. 13): ‚repperi hodie, ere, divitias nimias'. Lambinum ergo sequens verba supra allata hoc modo interpretor: repperi non vermiculum i. e. non rem nullius, pretii, sed-divitias nimias.

lumbricus, maledictum de servo, qui ut vermis ante sub terra latens subito prorepens ex inopinato in ara assidebat Aul. IV, 4. 1: lumbrice, qui sub terra errepsisti modo. — Cas. I, 39: ruri nisi tu acervum ederis Aut quasi lumbricus terram; — Bacch. IV, 6. 22: ‚nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit'; i. e. ut turdus lumbricum, ita Nicobulus petit me, sed mox ipse pendebit illaqueatus.

hirudo: proprie vermis, qui sanguinem aliorum animalium

exsugit, haud dissimilis est hominis, qui vi aut dolo alios pecunia defraudat, ut Epidicus in Epid. II, 2. 4 sq.: ‚iam ego me convortam in hirudinem atque eorum exsugebo sanguinem, Senati qui columen cluent'; aut meretrices in Bacch. III, 1. 5: ‚sorores, quae hominum sorbent sanguinem'; et in Curc. I, 2. 64: quae mihi misero amanti ebibit sanguinem'. Cfr. Cic. ad. Att. I, 16. 11: hirudo aerarii i. e. plebs; Theocrit. 2, 55 sq.: Αἰαῖ Ἔρως ἀνιαρέ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἐμφὺς ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκβδέλλα πέπτωκας.

i. Mollusca.

sepia: Rud. III, 2. 45: iube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui.

cochlea proverbialiter usurpatur ad tardum hominem significandum. Poen. III, 1. 29: ‚vicistis cochleam tarditudine'; ad rationem vivendi cochlearum alludit Plautus Capt. I, 1. 12 sq.: quasi, quam caletur, cochleae in occulto latent, Suo sibi suco vivont, ros si non cadit, Item parasiti rebus prolatis latent In occulto miseri, victitant suco suo, Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.

limax proprie genus cochleae est. Bacch. I, 18 legitur: ‚limaces viri'; haec metaphora quam vim habeat, dissentitur; alii ‚limaces viri' intellegunt meretrices, fortasse, quia amatorum bona corrodunt, Ussingius parasitos vult intellegi. Utra sententia rectior sit, eo difficilius est diiudicare, quod locus ille ex Bacchidibus citatus lacunosissimus est. Ceterum Ussingius comparat Cist. v. 298 sq.: (Varro L. L. VII, 64): ‚limaces, lividae, diobolares, schoeniculae, miraculae', quibus verbis meretrices dicuntur non omnes, sed foedissimae, quae cum limacibus, bestiis terram limantibus, comparantur'. (Ussing).

ostreatus, Poen. I, 2. 186: iam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito, i. e. tergum plagis non minus duratum et tuberibus tectum quam ostreorum testae sunt.

concha. Rud. III, 3. 42: ‚te ex concha natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas', — quo loco homo impudicus muliebrem earum naturam, feminal, intellegit.

k. Coelenterata.

polypus. Propter rapacem polyporum naturam, qui quidquid cirris suis prehenderunt devoratum retinent, Plautus homines quoque avidos polypos metaphorice vocat. Aul. II, 2. 21: ego istos novi polypos, qui ubi quicquid tetigerunt tenent.

Hae sunt comparationes ad animalia spectantes, quae obviam fiunt apud Plautum et Terentium. Sed ut luculenter perspiciatur, quantum hac ratione Plautus distet a Terentii usu dicendi, et ut poëtae nostri facilius inter se conferri possint, hac extrema dissertationis parte comparationes Terentianas colligere constitui, quas supra inter exempla Plautina insertas commemoravi.

belua, convicium: Phorm. IV, 2. 11, Eun. IV, 4. 36. p. 14.

ovis, Ad. IV, 1. 18: cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo, p. 30.

ovis — lupus; Eun. V, 1. 16: ovem lupo commisisti p. 22; Ad. IV, 1. 21: lupus in fabula p. 23; Phorm. III, 2. 21: auribus lupum teneo p. 23.

accipiter — milvus; Phorm. III, 2. 16: quia non rete accipitri tennitur neque milvo, p. 41.

sorex: Eun. V, 6. 23: quasi sorex perii, p. 18.

mustelinus; Eun. IV, 4. 22: hic est — colore mustelino, p. 18—19.

lepus, Eun. III, 1. 36: Lepus tute es et pulmentum quaeris, p. 26.

asinus, convicium: Ad. V, 8. 12; Eun. III, 5. 50, Haut. IV, 8. 35, p. 28.

Huc acedunt singula verba.

aucupium: Eun. II, 2. 16; p. 37.

lacerare: Ad. III, 2. 17; Hec. I, 1. 8. p. 14.

vorare: Eun. V, 4. 17; p. 15.

expiscari: Phorm. II, 3. 35, p. 47.

mordere: Ad. V, 3. 22; Eun. III, 1. 21; ib. III, 1. 55, p. 16 sq.

inescare: Ad. II, 2. 12; p. 37.

gannire: Ad. IV, 2. 17, p. 22.
oggannire: Phorm. V, 9. 41, p. 22.
convolare: Hec. prol. 32, p. 39.
involare: Eun. IV, 3. 6; ib. V, 2. 20; p. 39.
calces (iactare) adversus stimulum: Phorm. I, 2. 28, p. 28.

III. Conclusio.

Perlustrantem has comparationes ad animalia spectantes, quas ex fabulis Plautinis et Terentianis plenas excerptas esse confido, non effugiet, exempla Plautina et numero et forma varia et delectu ipsorum animalium valde distare a Terentianis. Nam ut de numero pauca commemorem, in Terentii omnibus fabulis undetriginta extant exempla, ita ut pari distributione ficta singulae plus minusve sena contineant[1]; Plauti contra comoediae in universum huiusmodi comparationum numerum CCCLIII praebent, i. e. singulis comediis circa XVIII exempla obviam fiunt[2]. Cum hac re cohaeret, quod imagines Plautinae, de quibus agitur, etiam varietate animalium ad comparandum adscitorum et vi structuraque exemplorum diligenter compositorum Terentianas longe superant. Plautus enim, ut supra vidimus, fere ex omnibus ordinibus animalium tum notorum exempla ad mores hominum vel condiciones vitae humanae illustranda petivit eaque, maxime variis modis pertractavit; Terentius comparationes illas parce sparsas ita profert, ut aut metaphoris usu detritis (cfr. lacerare, vorare, mordere, volare, asinus, belua all.), quae voluit dicere, exprimeret, aut breves comparationes proprias adhiberet, quae proverbialiter in omnium ore

---

[1]) In Terentii Andr. nullum exemplum occurrit, in Hec. et Haut. II, in Phorm. VI, in Ad. VII; in Eun. XII.

[2]) In Cist. III, Epid. IX, Stich. XI, Curc. XII, Merc. et Amph. XIII, Capt. XIV, Trin. XV, Men. et Most. XVI, Aul. XVII, Truc. XIX, Rud. XX, Pers. XXI, As. XXII, Cas. XXIII, Bacch. et Mil. XXIV, Pseud. XXVII, Poen. XXXIV.

versabantur (cfr. lupus in fabula, tam placidum quam ovem reddo etc.). Sed obiciat mihi quispiam: nonne apud Plautum huiusmodi metaphorae usitatissimae occurrunt? nonne proverbia omnibus nota persaepe ab eo in medium proferuntur? Quod minime negaverim. Quidnam scriptorem toti populo spectaculum praebiturum magis decuit, quam populi dicendi ratione uti? Attamen est aliquod discrimen inter poëtas nostros, quod mea quidem sententia negari non potest. Ex tropis enim Terentianis, rari ut sunt, nullus extat, qui ex ipsius poëtae ingenio ortus videatur esse. Plautinarum autem mirabilis numerus comparationum dubitari non sinit, quin poëta cum studio hunc orationis ornatum quaesiverit et valde adamaverit, ut risum eorum, qui audirent, comparationibus animalium moveret. Quantopere autem hac in re ad vulgarem populi rerum scientiam resperexit, maxime ex forma et sententia comparationum intellegitur. Nam cum poëta plerumque naturam et consuetudines eorum animalium in conferendo commemoret, quae omnibus notissima esse scivit, etiam comparationes aut metaphoras breviter attingit, confidens tertium comparationis ab uno quoque facile cognosci. Cfr. de forma p. 4—11. Ubi autem ei hoc dubium videbatur esse, consulto ita instituit similitudinem, ut additamento paucis adiuncto, quae esset sententia, declararet. Cfr. As. I, 3. 26: quasi piscis, itidem est amator lenae: nequamst nisi recens, Curc. I, 2. 13: Canem esse hanc quidem magis parfuit: sagax nasum habet; Cas. II, 5. 12: quasi venator tu quidem es: dies atque noctes cum cane (muliere litigiosa) aetatem agis; Men. IV, 2. 90: vin' afferri noctuam: Quae tu tu usque dicat tibi? all. Qua ratione Plautus id agere videtur, ut interpretatione exempli inexpectata audientes ad hilaritatem excitet. Rarius fit, ut imagines ridendas accuratius explicet; cfr. Aul. II, 2. 49—58; Asin. I, 3. 63—72. — Verum tamen poëta non dubitat, etiam animalia minus vulgariter cognita adhibere. Quod si accidit, qua in re similitudo posita sit, ipse planius demonstrare solet; ut Cist. IV, 2. 63 sq. (imitatur) Involvulum, quae in papini folio intorta implicat se: Itidem haec orditur sibi intortam orationem, et Capt. I, 1. 12 sqq.: quasi quom caletur cocleae in occulto latent, Suo sibi suco vivont, ros si non cadit, Item parasiti rebus prolatis latent In occulto miseri, victitant

suco suo. Cfr. Stich. I, 3. 12—15 all. — Accedit autem aliud in Plautinis comparationibus, quod mentione haud indignum videatur esse. Incidimus in nonnullas bestias, quae compluries quidem in similitudinem trahuntur, quarum tamen aliis locis alias proprietates poëta respicit, ut canis aut est pastoralis aut venatorius aut certo munere non fungens generaliter commemoratur. Canis pastoralis defendit gregem a lupo Trin. I, 2. 133—135; compellit pecudes As. III, 3. 148; canis venatorius macer esse solet: Capt. I, 1. 17; odorans persequitur feras Mil. II, 2. 113; Curc. I, 2. 17; sed non invitus venatum duci debet Poen. III, 3. 34; denique canis mala ex parte varie adhibetur Poen. V, 4. 66; Men. V, 34, all. vid. p. 20—22. Alia exempla omittere liceat, cum, qualia sint, sine negotio perspici possit.

Ex omnibus, quae adhuc commemoravi, satis elucet, quantam artem Plautus in tractandis comparationibus assecutus sit. Iam restat, ut anquiramus, unde Plautus comparationes ad animalia spectantes petiverit. Respicienda sunt ante omnia fragmenta novae comoediae Atticae, quam Plautus imitatus est, tum Aristophanis aliorumque comicorum opera, in quibus Plautus sine dubio bene versatus erat, diligenter sunt perscrutanda, ut illorum comparationes ad animalia spectantes cum Plautinis conferantur. Sed si disputationem ita instituerem, fines huius commentationis nimis late producerentur, itaque iam ad quam sententiam studiis meis adhuc adductus sim, breviter exponere satis habebo.

Atque fragmenta quidem novae comoediae Atticae, cum singula casu quodam tradita sint, quid mirum, quod comparationibus huc spectantibus egentissima sunt et raro exempla praebent, quae cum Plautinis conferri possint? Verum tamen quae aliqua ratione Plautinarum imaginum similia inveni, ex fragmentis illis et ex Aristophanis operibus contuli et supra singulis locis adiunxi. Dicat igitur quispiam, certe eas comparationes, quae Graecis respondeant, e Graecorum comediis adsumptas esse. Quod nonnumquam quidem factum esse non negaverim, sed in omnibus huiusmodi exemplis id minime contendi potest. Nam quin apud diversos populos ex observationibus hominum et animalium similes comparationes saepissime ori–

antur, quis est, qui dubitet? Huc refero maxime eas imagines, quae in usum proverbiorum transierunt; ut Bacch. I, 1. 21: ,mala tu es bestia', quocum conferas Menand. fr. Mein. p. 214: πολλῶν θηρίων — μέγιστόν ἐστιν θηρίον γυνή; — As. III, 3. 59: ,mea dicta devorate'; similiter Arist. II, 1009: φάγοιμ' ἂν ῥήματα; — Pseud. I, 2. 8: ,lupos apud oves linquere'; Ter. Eun. V, 1. 16: ,ovem lupo committere'; Diogenian. v. 96: Λύκος ὄϊν ποιμαίνει; — Truc. II, 2. 1: nostras aedis arietat; Arist. Lys. 309: εἰς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσοιμεν; — Poen. IV, 2. 50: Volucres tibi erunt tuae hirquinae; Arist. Pax. 804: τραγομάσχαλοι. — Videas etiam canem, hominis impudici symbolum, cuculum, all. — Praeterea multa proverbia per Graecos frequenter iam illis temporibus in Italia versantes in linguam Latinam translata sunt aut ex cognitione litterarum Graecarum nota fuerunt. Huc refero Mil. IV, 1. 42: πιθήκιον haec est prae illa et spinturnicium; Rud. I, 5. 10: equo ligneo per vias caeruleas estis vecta. Cfr. Od. IV, 708: νηῶν, αἵ θ' ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίνονται; Stich. IV, 1. 71: ,lupus in sermone', et Ter. Ad. IV, 1. 21: ,lupus in fabula'. Cuius proverbii origo, quamquam dubia est, tamen Graecis deberi videtur. Cfr. Theocr. XIV, 22: οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες. Plat. rep. I, p. 336. — His addiderim ea, quae ad mythologiam Graecorum pertinent: Pers. I, 1. 3 sq.: Nam cum leone, cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico, Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo deluctari malui e. q. s.; Bacch. II, 3. 7: quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi; Pseud. I, 2. 67: id tibi taurus (sc. Dirces) fiet; Aul. IV, 8. 1: ,Pici divitiis, qui aureos montes colunt, Ego solus supero'. Cfr. etiam quae ad alcedonem spectant: Poen. I, 2. 143; Cas. prol. 26; Arist. Av. 1594. — Denique commemoro Trin. IV, 3. 4: ,cave sis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent', quibus verbis ad ludum illum, quo et Graeci et Romani post cenam delectabantur, dico cottabum, alluditur. — De huiusmodi comparationibus quidquid iudicatur, sive materiam notam a Plauto ipso in imagines collatam esse sive plenas comparationes ex Graecis comoediis haustas esse aliquis censet, non desunt exempla, quae quin a poëta ipso inventa sint, dubitari vix possit, cum ad res pertineant, quae omnino populo Romano propriae sunt. Quo in numero habenda sunt: Pers. III, 3. 31: citius extemplo

a foro fugiunt, quam ex porta ludis quum emissust lepus; Pers. II, 2. 19: vola curriculo. Paegn.: Istuc marinus passer per circum solet; Aul. IV, 1. 15: abstinebit censione bubula. — Adde etiam Aul. III, 5. 20: ‚Ego faxim, muli, pretio qui superant equos, Sint viliores Gallicis cantheriis' et Rud. III, 6. 49 sqq.: ‚illic in columbum, credo, leno vortitur: Nam in columbari collum hau multo post erit', quae comparatio, cum sine dubio ex ludo verborum, quae sunt: columbus, columbar, collum, originem ducat, a Graecis certi non mutuata est. — Denique imagines, quas poëta accuratius illustravit, ita pertractatae sunt, ut equidem persuasum habeam, eas ingenii Plautini documenta esse.

Sed iam totius disputationis summam videamus. Mea enim sententia fere haec pro certis accipienda sunt: Plautus adamat ad sermonem ornandum et ad hilaritatem audientium augendam animalia in comparationibus afferre. Quarum comparationum magna pars ad vulgarem dicendi rationem referenda est et populi lepori debetur. Haud paucae autem Plauti ingenio tribuendae sunt, quamquam hac aetate certis argumentis demonstrari non potest, quot et quales imagines de animalibus sumptas poëta ex exemplaribus Graecis in suas fabulas transtulerit, quot et quales ipse invenerit. Verisimile igitur videtur esse, Plautum comparationes huius generis, quas iam ab Aristophane ceterisque Graecorum auctoribus comicis haud frustra adhibitas esse cognoverat, magno cum studio ita tractavisse, ut suum semper arbitrium sequens non solum quae ab aliis bene inventa esse intellexit, cum in memoriam redirent data occasione suis comoediis insereret, sed etiam ex suis animalium observationibus multa adiungeret. Omnia autem illa, quantum equidem iudico, Plautus tam apte protulit et composuit, ut ‚non a Graecis didicisse sed eos ipsos haec docere posse videretur'. — Quod probabile esse magis elucet, si dicendi rationem Terentii respicimus, qui eosdem poëtas Graecos ac Plautus non solum imitatus est, sed etiam fabulas suas aptissime ad comoedias Graecas conformavit. Terentii autem comparandi usum et numero et forma et animalium adscitorum varietate longe diversum esse a Plauto iam supra vidimus. Quod cum considero et poëtarum nostrorum artem scribendi cogito, Plautum simillimum esse putaverim architecti

ingeniosi, qui aedificium alienae structurae aedificans leges et formas quidem illius structurae servat, sed tamen extruendo et exornando aedificio tantum de suo addit, ut propriam et singularem quandam speciem spectantibus praebeat. Terentium contra comparaverim cum viro eiusdem artis peritissimo, qui peregrini generis aedificium praeclarum vidit idque admirans cum magna artis scientia studet, structuram illi simillimam popularium oculis proponere; metuit autem ne suis additamentis prima auctoritas atque elegantia aedium minuatur. Utriusque profecto artificis opera atque studium laude dignissima sunt.

Index verborum.

Theses.

I.

Plautinarum fabularum argumenta Graecis, compositionem et tractationem Plauto tribuenda esse puto.

II.

Plaut. Pers. II, 1. 6 ita scribendum est:

Ovis si in ludum iret, potuisset fieri ut probe litteras sciret.

III.

Hor. carm. I, 28. 21 hanc lectionem probo:

Me quoque devexi rabidus comes Orionis e. q. s.

IV.

Val. Flacc. Argon. VIII, 168:

,Aut certe mecum omne nefas, iremus et ambae'

legendum est.

V.

Xenoph. Λακ. πολ. X, 4 verba tradita ita mutanda sunt:

. . . ὅτι ὁπόσοι βουλόμενοι ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀρετῆς, οὐχ ἱκανοί εἰσι τὰς πατρίδας αὐξάνειν.

VI.

Soph. Electr. 363 sq. legendum esse mihi videtur:

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τούςδε μὲν λυπεῖν μόνον — βόσκημα e. q. s.

VII.

Nomen Quiritium (originem ducens non e voce Sabina ,quiris', sed e radice ,col', graec.-ital. ,kval' vel ,kvel') significat initio vetustissimos conditores et incolas Romae.

VIII.

Grammaticae comparativae certam summam et in latina et in graeca grammatica in usum scholarum componenda respiciendam esse iudico.

[redacted]